

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
9
15
B
15

HISTORIA JUDAICA

RES JUDÆORUM
A
Eversa Æde Hierosolymitana,
AD
Hæc fere tempora usque,
COMPLEXA.



De Hebræo in Latinum versa
A
GEORGIO GENTIO.







AMSTELODAMI,
Veneunt apud PETRUM NIELLIUM.
4 CIƆ IƆ C LI.

SUMMA PRIVILEGII.

CAutum eſt authoritate Præpot: DD. Ordinum fœderatæ Belgicæ, ſeorſim quoque Hollandiæ; ne quis Hiſtoriam hanc Judaïcam Latinè, vel alia lingua verſam imprimat, vel alibi impreſſam in hanc fœderatam Belgicam inferat, atque divendat: ſub omnium librorum & alia inſuper pecuniæ mulcta: quemadmodum latius in diplomatis patet. Dat: Hagæ Comitis Anno CIↃ IↃCLI.

In conſeſſu Ordinum Generalium 30 Junii,
JACOB VETH.

In Conſeſſu Ordinum Hollandiæ 7 Julii.
J. CATS.

Ad mandatum eorundem Ordinum.

N. RUYSCH. HERBERT van BEAUMONT.

Ex Bibliotheca Rabbinica de hoc libro

Cl. BUXTORFII Judicium.

SCHEBET JUDA, Tribus Judæ. Liber hiſtoricus, de variis calamitatibus, martyriis, diſperſionibus, accuſationibus, ejectionibus Judæorum: item de diſputationibus aliquot in Hiſpania & Italia inter ipſos & Chriſtianos habitis: item quomodo olim princeps in Iſraele ſit electus & inauguratus: quomodo Sanctuarium olim fuerit exſtructum, & quomodo Sacerdos maximus in eo ſacra peregerit in die expiationum: quid actum fuerit, cùm agnus paſchalis offerretur, & plurima alia jucunda lectu.

AD

ILLUSTRES, MAGNIFICOS,

ET

NOBILISSIMOS

CONSVLES,

PRUDENTISSIMUMQUE

SENATUM,

ET




TOTUM POPULUM

INCLYTÆ

HAMBURGENSIUM

REIPUBLICÆ.



Illuſtres, Magnifici, Nobiliſſimi

CONSVLES,

& cæteri inclytæ Reipublicæ prudentiſſimi

PATRES.


Niverſi conditor & rector DEUS res præclariſſimas, gemmas inquam, tanquam naturæ arcana ingenti montium mole, ut impenetrabili mortalibus clauſtro abditas repoſuit, ne ſcilicet obviæ ſi eſſent, illarum pretium minueretur, horum faſtus promiſcue attolleretur. Conditoris exemplo mortales pretioſiſſima quæ-

quæque firmiſſimis locis recondunt, ne omnium oculis expoſita vileſcant, & auguſtum ſplendoris nomen obſcuretur. Non itaque ſine ratione auguſtiſſima divinæ Sapientiæ gemma in recondito & arduo linguarum genere relucet: Duriſſimus Moſaïcæ legis Adamas, inter Arabiæ montes divino munere natus, Hebraïcæ linguæ aſperitatibus reſplendet: Suave rubens Sanctiſſimi Euangelii Hiacynthus in Græcorum campis refulget. Latis hiſce vario linguarum genere æquitatis legibus, maximum inter illos cernitur diſcrimen, qui illas colunt: Chriſtianus ſuæ originis memor, mitis eſt, manſuetus atque beneficus, amat, etſi non ametur; tolerat, etſi non toleretur; & benefacit, etſi illi nunquam benefiat; ratione non ſanguinis & ſui, ſed ſacratiſſimi Servatoris ha-

bita, qui injurias non vindicavit, nec percutientes hoſtes unquam repercuſſit. E contrario Judæus durus, animo elatus, ſui adamantis ſplendore & gloria tumidus, jactat alios tanto munere indignos, ſe ſolum hominem, alios vix hominum loco cenſeri, alios non fert, niſi in verba ſua jurantes, & impotenti ſervitutis imperio frangendos & vindicandos: cum tamen naturæ lex, inter ſe genere pares ferendos eſſe doceat; & leges divinæ, priſcorum exempla, non vi; ſed ratione & pietate aliorum ſaluti invigilandum eſſe imperent. Illuſtre tradit nobiliſſimus autor Sadus, venerandæ antiquitatis exemplum, Abrahamum Patriarcham, hoſpitalitatis gloria celebratum, vix ſibi felix fauſtumque credidiſſe hoſpitium, niſi externum aliquem, tanquam aliquod præſidium domi excepiſſet hoſpitem, quem

quem omni officiorum prosequeretur genere. Aliquando cum hospitem domi non haberet, foris eum quæsiturus, campestria petit, forte virum quendam, senectute gravem, itinere fessum, sub arbore recumbentem conspicit. Quem comiter exceptum, domum hospitem deducit, & omni officio colit. Cum cœnam appositam Abrahamus & familia ejus a precibus auspicaretur, senex manum ad cibum protendit, nullo religionis aut pietatis auspicio usus. Quo viso Abrahamus eum ita affatur: Mi senex, vix decet canitiem tuam, sine prævia Numinis veneratione, cibum sumere. Ad quæ senex: ego ignicola sum, istiusmodi morum ignarus, nostri enim majores nullam talem me docuere pietatem. Ad quam vocem horrescens Abrahamus, rem sibi cum ignicola pro-

profano, & a ſui Numinis cultu alieno eſſe, eum e veſtigio à cœna remotum, ut ſui conſortii peſtem, & religionis hoſtem domo ejicit: ſed ecce ſummus Deus Abrahamum ſtatim monet: Quid agis Abrahame? Itane vero feciſſe te decuit? Ego iſti ſeni, quantumvis in me uſq; ingrato, & vitam & victum, centum amplius annos dedi, tu homini nec unam cœnam dare, unumq; eum momentum ferre potes? Qua divina voce monitus Abrahamus, ſenem ex itinere revocatum domum reducit, tantis officiis, pietate & ratione colit, ut ſuo exemplo ad veri Numinis cultũ eum perduxerit. Vos quoq;, Proceres nobiliſſimi, cum pari ſtudio Judæorum gentem habeatis, laudatiſſimo more atq; exemplo, pietate potius ſervare, quam ſevera diſciplina excludere, eos tanquam perditas Chriſti oviculas colligere,

quam

quam dissipare mavultis. Cum hicce liber Judæorum res & mores diligentissime perscribat, merito vestro nobilissimo nomini eundem consecrare visum fuit, ex quo, quam infandis misera gens malis laboret, cognoscere vobis licet. Pergite, optimi Proceres, servare insigni vestra pietate, quos Christus Servator noster servare ipse voluit, nobisque servandos serio præscripsit: Qua ipsa re fiet, ut vos, nobilissima celeberrimæ Reipublicæ Capita, in hac vita pari cum Abrahamo gloria, in futura pari felicitate beati fruamini: cui certe voto, cum vobis propensus ad pulcherrimam, ob servatos homines laudem, non desit animus, nunquam auspicio suo deerit benignissimus Deus.

NOBILISSIMO VESTRO NOMINI

Addictissimus

GEORGIUS GENTIUS.

**

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Ræſtat, Benevole Lector, nervoſo verborum compendio res multas complecti; quam diſſoluta orationis luxurie, velut inanis tympani ſtrepitu omnia implere. Illud, ut exile aurei numi corpus, ſingularem ſplendorem, gravius pondus, & maximum ſui pretium: hoc vero, ut æneus, ingentem magnitudinem & cum obſcuritate pretii levitatem oſtendit. Quapropter ſine operoſa inanium verborum circuitione de Historia, quæ dicenda putamus, hic compendio dicimus. Neminem equidem ignorare arbitror, quanto ſemper antiquis in pretio fuerint rerum geſtarum Scriptores, ut qui laudatiſſimo labore æternum ſibi monumentum, & immortale erudiendis poſteris benefi-

neficium reliquerint; quo elapſorum tempo-
rum faciem metimur; & ſenes dici poſſumus,
dum adoleſcentes ſumus. Panſis HISTORIÆ
velis, non tantum res extremis majorum no-
ſtrorum temporibus geſtas cognoſcimus; ſed
etiam in primum orbem a Deo conditum,
poſtea non tam aquarum mole ſuperatum,
quam infandis mortalium ſceleribus ſubmer-
ſum feliciter navigamus. Diſcimus, quæ hujus
univerſi vera fuerint initia; nec fabulis acti in-
ſanam mundo adſcribimus originem: qualem
olim non pauci mundo affinxerunt, opinioni-
bus, id eſt, fabularum principiis in devia erro-
rum abrepti. Alius mundum æternum; alius
vero incertis ſeminibus natum eſſe credidit.
Alii ſerio ineptientes ridiculas poſteritati ven-
diderunt fabulas: qui divinum illud animal,
hominem inquam, folliculis fabarum more
innatum & ortum prodidêre. Horum quidem
ita futilium commentorum autores non inter
homines certe putandi; ſed inter fabas una
cum fabaceis ſuis commentis rejiciendi erant.
Cordatis vero inter has anicularum fabulas ve-
ra advocanda eſt HISTORIA, quæ LUX,

FAX & mortalium OCULUS merito dici debet. Præstans nobis; si non majus, haud certe inferius, quam quod nautis in vasto mari per incerta errantibus beneficium conferre magnes solet: quo ut hi sæpe naufragos scopulos declinant, tristissimaque fata evitant: sic nos HISTORIARUM luce & oculo, perspectâ rerum gestarum certitudine, commenta, fabulas, & ineptorum deliria feliciter præternavigamus. Hæc nobis veluti in theatro, singulari quodam beneficio, lapsa reddit tempora, majorum nostrorum vitas & mores, gentium & imperiorum vicissitudines describit: aliorum modo præcipites casus & interitum; aliorum vero semina & ortus. Divinum certe munus, quo jam non homines; sed aspectabiles Dii sumus, quia veluti Jani bifrontes præterita pariter ac futura spectamus; quæ ad vitæ usum traducantur. Scilicet res retro gestas, repetitis ab orbe condito seculis historiarum oculo penetramus; & in futura sive gerenda, nescio quâ luce & claro judicio quam longissimè prospicimus. Quid vero gratius posteritati contingere potest, quam ut, repetitis majorum virtutibus ad

illorum

illorum exemplum non minora moliri,& laudandis patrum veſtigiis inſiſtere diſcat. Vel etiam ex triſtibus majorum fatis paulo altius ſapere ſtudeat. Salutare enim eſt, alienis doceri exemplis. Felicior certe multo eſt, qui alieno malo ſapiens vulnera prudenter evitat; quam qui temere excepta longâ curâ ſanat,vel plane deſperata perpetuo luctu deplorat. O beatas delicias, varietate rerum ita inſignes, & incredibili voluptate ita ſuaves; ut quemlibet non tantum capere,ſed in ipſis deliciis ſubmergere poſſe videantur! Quem non in hæc tam præclara ſtudia concitare poſſit & debeat, majorum noſtrorum virtus & gloria, præſentium neceſſitas,atque poſteritatis cura & amor. Quo vero quis eminentiori præ cæteris loco eſt poſitus, eo majori, Hiſtoriam, qua potiſſimum indiget,loco habere debet. Alioquin dux ſine oculo, aliis viam quomodo monſtrabit, cum ipſe cæcus aliena manuductione egeat.Hic igitur,Benevole Lector, tibi damus HISTORIAM JUDAICAM; gentis olim quidem nobiliſſimæ;nunc vero fato ſuo per totum terrarum orbem omnium contemtiſſimæ: Quæ uti per

aliquot retro ſecula nihil præclari molita; ita modicam laudum ſuarum autori præbuit materiam. Autor ipſe Hiſpanus, nomine Salomo filius Virgæ, Medicæ artis peritus, hiſtoriam hanc in mediis gentis ſuæ calamitatibus Hebraice perſcripſit, cujus ego argumentum ad pauca hæc capita haud incommode mihi revocare poſſe videor. I. Caput vagabundæ Hebræorum gentis mala continet, quibus reliquæ gentes eam internecione delendam ſubinde invaſerunt. II. Aliquot ſceleratorum fraudem, qui diverſis temporibus ſe Meſſiam mentiti, Judæos novi & diu ſperati Meſſiæ avidos ad ſe pellexerunt, & turbas haud impune dederunt. III. Quædam in Thalmudico opere obſcurè dicta, quæ fabularum inſtar ſunt, argutè explicantur. IV. Controverſiæ proponuntur, V. Traditur modus, quem in creando Principe ſuo olim Hebræi obſervare ſolebant. VI. Sacræ ædis Hieroſolymitanæ exponitur fabrica, & ſacra, quæ Pontifex maximus celeberrimo illo expiationis die faciebat. VII. Ritus, quo, Paſchatis feſto, agnum Paſchalem immolare mos illis erat. Sunt præterea & multa alia ſcitu mini-

minime indigna, religionem, vitam & mores Iudæorum ſpectantia. Nec tamen diffitemur eſſe in hoc ipſo autore nonnulla, in quibus Iudęum fuiſſe agnoſcas, nos iis omnibus in notis aliquando abunde, Deo juvante, occurremus. Ut tamen librum Romano ſermone donarem, me ſumma movit ſcriptoris autoritas, quam ſibi apud omnes Judæos hoc opere conciliavit: unde factum eſt, ut liber ille communi Judæorum applauſu diverſis locis lingua Hebraïca hactenus impreſſus fuerit: Venetiis in Italia, Theſſalonicæ, quæ Macedoniæ caput, nunc temporis etiam urbs eſt frequentiſſime habitata, Conſtantinopoli in Thracia, & Amſtelodami in Batavia. Neque vero contenta fuit docta Judæorum aviditas, ſibi ſoli hujus libri linguâ Hebraïcâ patere aditum, quin in vulgi gratiam aliis etiam ſermonibus, Germano & Luſitano ſcilicet, autorem donarunt: hoc nuper exemplum Amſtelodami per Luſitanum Judæum, illud charactere Hebraïco Pragæ in Bohemia olim expreſſum, jam vero Amſtelodami recuſum fuit. Adeo, ut liber iſte, non tantum a doctis legatur; ſed a vulgi etiam manibus quaſi

atteratur

atteratur. Sed eo magis forte librum amat atque æstimat gens Hebræa, quia multis calamitatibus fessa benignos aliquando rerum suarum interpretes divino quodam munere vel invenit; vel humana mercede comparavit; vel ipse autor erigendis fovendisque dejectis suorum animis quædam consulto lætius extulit. Cujus libri cum inter Hebræos tantam viderem esse commendationem, me rem gratam facturum rebar foro Romano, si autorem ex Hebræorum servitute & erroribus ereptum, in libertatem transscriberem. Accipe igitur, Præclare Lector, librum ea fide, integritate atque diligentia a nobis versum, quâ eum autor Hebræus nobis in lucem emisit: imo beneficio & copia variorum exemplorum, quibus feliciter potiri contigit, multis in locis locupletiorem. Quæ enim Hebræis solitum est, sibi nota abrumpere; ea, ut civibus Romanis ignota adjecimus sive explevimus. His Præclare & Benevole Lector te salvere & bene valere jubeo, unum hoc tantum a te petens, ut si grata hæc tibi nostra qualiscunque opella fuerit, me voto tuo & bono omine adjuvare velis. Iterum vale mi Lector & fruere.

HISTORIA JUDAICA.



PRimum Judaicæ gentis excidium fuit tempore Antonij Imperatoris Romani, cui Hierosolyma valida cum manu contendenti sese junxit Regum Græcorum quidam, nomine Cæsius. Imperator jamjam Hierosolymis imminens audivit, ut amisso marito facta fuerit vidua Regina Ægypti, cui Cleopatræ nomen erat: quam cum fama ob corporis pulchritudinem omnibus mortalibus præferret; Imperator impotenti ejus amore acrius exarsit. Eam ob causam legatos misit in Ægyptum, qui matrimonium ejus ambirent. Consentientem sibi matrimonio junxit, eâ tamen conditione; ut priorem uxorem, quæ Romæ erat, prius repudiaret: cui Antonius annuit. Repudiata autem Imperatoris Octaviani soror erat. Visâ rei turpitudine Senatus Romanus, Imperatorium fastigi-

ſtigium ab Antonio in Auguſtum transferre ſtatuit. Collato in Auguſtum Imperio, diſſeminarunt nonnulli Judæis infeſti, Reginam Ægypti pacem & amicitiam coluiſſe cum Judæis, qui Antonio & Reginæ contrahendi matrimonij fuiſſent autores, ut Antonius matrimonij beneficio belli impetum ab ijs averteret. Quô Romani Patres auditô decreverunt, Imperator Auguſtus Hieroſolyma peteret, & primum Antonium, deinde Judæos ultum iret. Tum ivit Auguſtus cum valido exercitu, ex omnibus mundi gentibus collecto; quippe eo tempore Romani Imperij magnitudo orbis terrarum terminis continebatur. Bello inter Antonium & Auguſtum aliquandiu geſto, vicit Auguſtus, fugit Antonius. Imperator vero Auguſtus Cleopatram unà cum duobus filijs prioris matrimonij teſtibus trucidavit. Poſtea bellum in Judæos convertit, quorum maxima fortitudinis vis magnam Romani exercitûs partem proſtravit: ut tum Imperator militiæ ducibus dixerit; Bello cum Judæis abſtinendum cenſeo, quia nobis non cum hominibus; ſed leonibus atque tigribus res eſt. Cui duces reſponderunt: Hanccine ignominiæ notam Romano nomini inuremus? Quin majoribus animis bellum capeſſimus, & fortius pugnamus: ſi occumbimus, gloria noſtra æternum vivet.

Inſtau-

Inſtaurato igitur majori fortitudine bello, muros Hieroſolymorum dejecerunt, quibus dejectis atque urbe ſubacta opima præda potiti ſunt. Prætore, qui nomine Romanorum Judæis præeſſet, relicto; magna cum gloria triumphans Imperator Romam rediit. Verum exacto anni ſpatio, Judæi a Romano jmperio deficientes prætorem ſuſtulerunt. Quô auditô, Imperator irarum Furijs accenſus, coëgit exercitum altero tanto majorem; quippe virtutis atque fortitudinis Judæorum non ignarus. Valla & foſſas duxit, quæ prima obſidione contemptu Judæorum ducere neglexerat. Integro anno obſidione conſumpto, tandem urbem expugnavit, atque infinitum Judaicæ gentis numerum, vel ipſâ littoris arenâ majorem occidit; ut Imperator manibus in Cœlum ſublatis dixerit: Magne Deus, ne mihi cladis hujus, quâ tam multi pereunt, culpam imputes; quippe Judæi ipſi ſibi ſui mali autores ſunt. Poſtea Judæorum principes Romam duxit captivos: neque vero hic divina vindicta ſtetit; ſed aëris victuſque mutatione, tum perpetuâ peccandi conſuetudine obierunt omnes, quorum cadavera Roma ſepelivit. Sic in Annalibus Regum Arragoniæ perſcriptum eſt.

II. Excidium ſecundum tempore Ben Siræ di-

rum fuit; cujus mihi origo non innotuit. Scriptum tamen legi, tricies millenos homines a lege Mosaïca defecisse, & reliquos Numinis reverentiam retinentes fuisse exustos. Ben Sira autem fuit Josua, filius Sirachi, qui nepos fuit Josuæ filii Jozedèci Pontificis maximi. Christianis vero Jesus Sirach vocatur, quemadmodum scripsit Hieronymus. Sapiens ille scripsit librum, qui Christianis Ecclesiasticus dicitur, quem, dum ut sapientiæ miraculum authoritate pollet, sacris codicibus annumerant.

III. Excidium tertium incidit in annum quater millesimum quartum: Persæ ab Arabibus nondum devicti Judæos invadunt, quos tamen antea amore & honore prosecuti fuerant, quippe tum temporis inter Judæos erant viri sapientiæ famâ celebres, viris Hierosolymitanis ante excidium candore & integritate minime inferiores. Rex illos liberare quidem conatus; sed ob infesti populi frequentiam non potuit; veritus populi defectionem, quia jamjam fax belli Arabici contra Persas exarserat: videns itaque Rex ipsorum fremitum, qui, ut religionem suam in majus promoverent, turbas ciebant, ipsis invitus suffragatus conjecit in vincula tres Iudæorum Principes, Amimar, Murica, & Masarsia dictos, qui exulum facile Principes erant. Hos virgis cecidit

dit crudeliter, ut a lege deficerent, & populum ſuum ad defectionem pellicerent. Verum hæc omnia paſſi beatæ memoriæ viri hanc calamitatem fortiter ſuperarunt, atque ſummum Deum celebrarunt. Rex videns hunc ſuum conatum irritum eſſe, iis mortis ſupplicium decrevit. Poſtmodo omnes Iudæorum principes in carcerem conjici juſſit, longoque tempore calamitates & afflictiones perpeſſi ſunt, ita ut macie extenuatis vix cutis oſſa tegeret. Poſtremo ubi tantam miſeriam perferre non potuerunt, maximam partem à lege defecerunt. Verum ab eo tempore res Perſarum labaſcere cœperunt: Arabes enim ingentibus præliis illos aggreſſi profligatos ſuperarunt, Regeſque omnes Perſarum in vincula conjecerunt. Rex vero Arabum vir pius, uti hoc perpetuum eſt, ut Reges Arabum ſint pii & integritatis amantes, miſit, qui judæos vocarent, iiſque benignè promiſit, ut qua vellent, lege viverent: Coactam enim legem nunquam fuiſſe utilem. Ipſi quoque Perſæ palam confeſſi ſunt, ſe Judæorum cauſa cladem adeo gravem accepiſſe. Deinde miſſos fecerunt Judæos, viverent, qua lege vellent. Ita ſcriptum eſt in Annalibus Regum Perſarum ad Hiſpaniarum Regem miſſis, more plane Chriſtiano, qui res antiquitus geſtas ſcrutari ſolent, ut ex

iis captent consilia, in quo ipsorum virtus atque prudentia cernitur.

IV. Excidium quartum anno quater millesimo octingentesimo septuagesimo secundo accidit, quo ferrum flammamque minitans Ben Humrad orbem terruit: hic per totum Regnum suum edixit: Quemlibet, qui ad legem suam non transiret, ferro periturum, ejusque bona publicanda esse. Tum trepidi omnes Judæi, unaq; illorum filii atque infantes accesserunt ad portam Regis, & quidem proximè ad portæ limen consistentes ita conclamarunt. Serva nos o Rex: Rex autem respondens ait: O stupidum & insipientem populum! An non vos ad legem meam vocavi servandos, ne infernales pœnas subeatis? Responderunt Judæi: Salus nostra consistit in observatione legis nostræ, cui obstricti sumus. Tu quidem nostrorum corporum Dominus, bonorum nostrorum Rex es; sed animæ ei, qui nobis illas dedit, reddendæ sunt. Ille enim est Rex, qui judicabit illas. Tu vero es Dominus noster, æquissimus regni tui arbiter. Respondit Rex: O populum stultum! Ego vobiscum disceptare nolo, sciens quippe vos Judaicis argumentis responsuros. Edictum meum urgeo, quod ita habet: Aut observate legem meam, aut ferro perite. Inquiunt Judæi: ignosce

noſce nobis, ſi æquitati tuæ confiſi, cauſam noſtram liberius agimus; tu enim es Rex noſter, & nos tuus populus: ſi imperata tua non facimus; nos tuo regno pellas, licet. An major irrogari poterit pœna, quam ſi relicto patrio ſolo migremus ad ignotum populum? Reſpondit Rex: Meum non eſt, dare ſervos meos, ut ſerviant Regi alieno. Judæi cognitâ Regis voluntate adierunt purpuratos, quos precibus vehementer obteſtati ſunt, Regem placarent, ut facultatibus ablatis, priſtinam ſacrorum libertatem ipſis relinqueret. Quod purpurati fruſtra tentarunt. Itaque præ nimia vexatione multi cœtus a Moſaïca lege deſciverunt. Verum Rex ille intra menſis ſpatium repentinâ morte extinctus eſt; cui filius ſucceſſit, haud leviter veritus, ne pater, quod Judæos inique habuiſſet, obierit. Convocatis igitur omnibus, qui coacti metu a ſacris Moſaïcis defecerant, haud obſcure innuit: per ſe quidem liberum illis eſſe; crederent, quod vellent. Hinc multi ad legem ſuam reverſi; multi vero veriti, dolum ſubeſſe; ſcilicet animos ipſorum tentandi gratia hoc dixiſſe Regem, aliquandiu etiam ſacra priſtina intermiſerunt.

V. Excidium quintum Granatæ in urbium maxima accidit: Conjuratio inita eſt contra Magiſtrum Joſephum

ſephum Levitam, qui trucidatus eſt cum univerſo cœtu, qui plures quam mille quingentas familias contineret. Et quiſquis illorum ſplendorem, felicitatem & gloriam ignorat, nullam ille unquam famæ celebritatem cognovit: quippe ſapientiæ & religionis gloria ubique eminebant. Eos tam vicini, quam longinqui luctu proſecuti ſunt: tum quia illos dignos eſſe cenſerent, tum quia hi vererentur, ne idem malum ad ſe quoque ſerperet. Hæc autem calamitas incidit in diem nonum Decembris. Iejunium vero hoc die ab antiquis inſtitutum, & in codice jejuniorum deſcriptum, quare inſtitutum fuerit, ignoratur. Sed veri eſt ſimile, illos dictamine Spiritus Sancti fatalem hunc diem reſpexiſſe. Scripſit id Magiſter Abrahamus Levita in libro ſuo Cabaliſtico. Memoratus vero M. Abrahamus Levita propter Dei cultum ſuſpenſus fuit; quippe Hiſpaniarum Rex illum, ut a lege deficeret, cogere aggreſſus, ubi minis nihil profecit, ſuſpendi juſſit.

VI. Excidium ſextum fuit paſtorum conjuratio, quæ parem aliam nec habuit, nec habitura erit. In ea autem deſcribenda autores variant; quæ vero in Annalibus Regum Hiſpanenſium traduntur, ita habent. In urbe Iga extitit forte puer quiſpiam, qui populo, quem frequentem convocaverat, narravit: in hu-

Quotidie ſibi columbæ ſimulacrum apparere, modo in humero, modo in capite conſidens, atque ad ſe Spiritu fatidico verba facere: quando vero id prehenſurus manum extenderet, tranſformari in adoleſcentulam formoſam, hoc modo loquentem : En tute puer es, te in terra paſtorem conſtituo, ſuperabis Saracenos proſperis aliquot prœliis. Hocque tibi ſignum erit, quod oculis tuis cernes hæc ipſa verba tuo brachio inſcripta. Multi fuerunt, qui ſe illa vidiſſe teſtati ſunt. Alii in brachio ejus imaginem crucis inciſam ſe vidiſſe aſſeruerunt. Alii vero dixerunt: ſe, cum puer juxta fontes agebat, iſta ipſa verba quidem audiviſſe; ſed nullum vidiſſe ſimulacrum. Hôc auditô populus ad illum puerum convenit, flexis genibus eum veneratus extulit, atque ſanctum principem & ducem ſibi eum conſtituit. Veruntamen puerum nemo ſecutus, præter paſtores, qui in iſtis tractibus innumeri fuerunt. Pueri fama inclareſcente, ex omnibus regnis multa hominum millia, imò myriades aliquot ad illum confluxerunt, ut brevi temporis ſpatio tricena paſtorum millia convenerint. Qui primum urbem Granatam, deinde totum Arabum regnum invadere decreverunt. Hoc conſilio inito, quidam ex illis infit: Equidem ego hoc conſilium probare non poſſum ; quo modo

enim præliabimur cum Arabibus, militiam doctis & numero ſuperioribus, qui numero longè inferiores ſumus. Illi præterea armis inſtructi, nos vero ita inermes, ut ne aciculam quidem habeamus. Itaque ſi videtur, primum aggrediamur Judæos, populum imbellem, fractum, omnique deſtitutum auxilio, quem vel uno etiam digitulo ſternere poterimus. Victores Judæorum, qui divitiis abundant, ſpoliis potiti, bellica arma comparabimus, & multis augebimur auxiliis. Tum Saracenis bellum inferre, propemodum victoriæ certi, poterimus. Ipſis conſilium hoc agitantibus, fortè illac ſartor quidam Judæus iter habet; miſer ille, quo fine ibi conſtiterint, ignarus, illos illorumque acta eludit. Quô cognitô paſtores furibundi in miſerum hominem involant, atque ita crebris vulneribus corpus ejus confodiunt, ut cribro ſimillimum id eſſet. Atque ita unius ob noxam, furor in totum populum Judaïcum exarſit; cujus gentis memoriam penitus excindere ſunt conati. Alii tradunt: Hujus odii originem extitiſſe controverſiam quandam, quam unus paſtorum illorum cum quodam Judæo habuit; verum lite inter illos tractâ, paſtores Judæum cauſam ſuam debellantem trucidant. Hinc malum illud in omnia ſerpſit loca, ad quæ paſtorum furor pervadere

re potuit. Tum Judæi miſerunt legatos ad Regem Galliarum, qui ſuper hac re vehementer commotus, erat enim Rex pietate inſignis, miſit in omnes civitates expeditos equites, qui nunciarent; ut miſſos facerent reliquos: juxta quoque omnibus monachis præcepit, ut ſeſe paſtoribus opponerent, atque eorum adeo impium conſilium diſturbarent: illos enim plane contra æquum & bonum façere; ſi enim monſtra illa, quæ jactant, vera eſſent, venirent ad ſe, auxilio ſe iis adfuturum; quin auſpicio atque ductu ſuo præliis ipſorum præfuturum. Verum paſtoribus hæc verba eludentibus atque vehementer deridentibus, mittunt miſeri Judæi quam ociſſime ad Pontificem maximum, qui ſub poena graviſſimi anathematis ubique edixit, ut omnes paſtorum furorem reprimerent. Nihil tamen profecit: quandoquidem paſtores per ſe numero pollentes, magis creſcebant, adjunctis ruſticis, aliiſque Judæos exoſis, qui in illos involandi oportunitatem nacti ſeſe iis jungebant; itaque coorti paſtores omnes contrucidarunt Judæos, quos in eo loco deprehenderunt, ut ne unus quidem evadere potuerit. Hinc petiverunt Sardelam, ibique omnes, quos occuparunt, Judæos interfecerunt, præter paucos, qui facultatibus ſuis oblatis, impetravere, ut princi-

pum ædes tanquam vitæ latebras refugiumque haberent. Recognitâ, Princeps Tolosæ misit equites, quibus imperavit, ut rebus fortiter gestis, ex pastoribus nonnullos comprehenderent, & vinctos ad se Tolosam perducerent: Profecti equites ex iis multos cepêre, eosque decem curribus impositos advexerunt, pervenerunt autem Tolosam noctu: ubi eos monachi, qui in urbe erant, coorti vinculis eripuerunt; mane vero vulgaverunt: In pastoribus editum esse prodigium aliquod; scilicet, Messiam eos vinculis liberasse, quo veritatem causæ illorum ostenderet. Concitata hinc in urbe tota per plebem turba, quæ pastores vi conata est eripere de manu præfecti, qui viribus impar liberandis Judæis nequicquam omnem operam navavit. Judæi vero, qui in arcem Narbonensem confugerant, audito, pastores illos esse comprehensos, quid porro iis accidisset ignari, inquiunt: Nunc quidem nihil est periculi, jam enim omnes pastores ceciderunt. Propere igitur arcem egressos in via invadunt pastores, quibus Judæi sese fortiter objiciunt; verum rustici e pagis advolantes suppetias ferunt pastoribus, itaque centum quinquaginta cadunt Judæi. Quo cognito, ipse præfectus Tolosæ contra ipsos egressus, deprehendit magnam populi frequentiam eo confluxisse, cum-

cumque sibi pugnandi cum ipsis oportunitatem deesse cerneret, verbis eos castigare conatur. Illis vero ipsum invadere parantibus, retrocedere coactus se in urbem recepit. Erat autem vir pius; itaque omnes, qui in tractu illo erant, Judæos monuit, ne egrederentur, nisi quam tutissime. Et si venerint ad se, missurum equitem quendam sibi sanguine junctum, qui illos Carcosonam in urbem munitam deducat, ut salvi esse possint. Omnes igitur adventantes Judæos fidei equitis commisit, quem diligentissime monuit, ut non minus de conservandis Judæis, ac de se ipso solicitus esset: quippe qui nullum scelus morte plectendum commiserint. Verum eques cum rusticis scelerato inito consilio, Judæos auro corruptus iis prodidit, qui noctu coorti omnes oppressêre. Atque hæc tanti mali fax in multis locis exarsit, in Anglia, Burdigalæ, Castel-Sarasin & Aginni, quæ loca omnia Judæorum cæde & sanguine implebantur. Inde itum est ad urbem Bigordam, tum Morsen, postremo Fondonem: nulli autem fugâ salutem quærere licuit; atque in majoribus urbibus gerebantur ista, ut non veniant in hanc rationem, quarum infinitus numerus est, urbes minores. Postremò, ut paucis absolvam, centeni & viceni cætus cæsi fuerunt à pastoribus. In Castel-Sa-

rasin multi convenerant Judæi, cum pastores portas niterentur effringere, & Judæi fugæ opportunitatem sibi ademptam esse cernerent, dixerunt: Præstat necem nobis ipsis consciscere; quam in sceleratorum manus venire. Missâ igitur sorte, quisnam prior alterum occideret, alii alios, ducenti interfecere. Duo vero sese de turri in præceps miserunt. Quibus deletis, pastores Tolosam reversi, obvium habuerunt præfectum; qui amicè & benevolè ait: Vos fratres atque religionis meæ consortes, multum contumacibus istis Judæis differtis: verum mihi videmini non jure ipsos trucidasse; sed ad legem Servatoris nostri, quæ sola vera lex est, cogere debuisse. Quin quod amplius est, scriptura ista, quam pueri istius brachio inscriptam dicitis, non in Judæos; sed Saracenos eundum esse præcipit. Tum pastores responderunt: Si Judæi, qui agunt Tolosæ, Christianam legem amplexi fuerint; ab eorum cæde abstinebimus. Mox omnes a lege sua descive-runt, nec ullus superfuit Judæus, præter unam mulierem, quæ in ædibus cujusdam principis, sibi familiaritate juncti, occulta latuit. Sic & in urbe Gascona omnes cæsi sunt, exceptis viginti, qui in urbem Leridam confugerant. In pago quodam, cui Lois nomen est, trecenti fuerunt Judæi, qui maximè

maximè divites facultates suas dederunt principi cuidam; ut per equites eos tuto in Arragoniæ regnum deduceret. Sed eos vix egressos adorti oppidani cunctos occiderunt. In regno quoque Arragoniæ magna calamitate pressi se in urbes munitas receperunt. Inde miserunt ad Pontificem Maximum, qui imperavit omnibus, suæ ditionis sacrorum antistitibus, pastores anathemate percellerent; ut, omissis istis sceleratissimis consiliis, in viam redirent; sed ea res frustra fuit. Tolosæ autem Episcopus Regis Arragoniæ filius latis suppetiis, Leridanum cœtum à pastorum rabie vindicavit. Atque pastores per totum regnum Arragoniæ crudelissimè grassati omnes propemodum delevissent Judæos, nisi Arragoniæ Rex pietate insignis, maximam, liberandis in regno suo cœtibus, navasset operam; constituto passim per civitates suas equitum præsidio. His tamen omnibus nihil profecisset, nisi Don Alphonsus Regis Arragoniæ filius caput suum pro justa causa objecisset: is venit in urbem Oscam, quadraginta ex illis comprehensos patris jussu suspendit. Itidem in monte Senor nonnullos eorum captos in crucem egit. Hôc modô omnes ex regno suo excidit. Rex quoque Galliarum in toto regno suo edixit: quemcunque pastorum inventum trucidandum esse.

esse. Egressi autem pastores Arragoniâ irrupere in Navarræ regnum, & pervenerunt ad cœtum, qui est Pompejopoli, quam Pampelonam vocant. Hinc ad locum tribus leucis dissitum Monreal dictum, ubi multi fuêre Judæi, qui prælio congressi, ingenti clade pastores afflictos inde pepulêre. Postea Don Alphonsus uni præstantissimorum equitum ait: Se, si contra pastores fortiter se gesserit, & puerum illum percusserit, maximis divitiis illum donaturum, atque reliquis omnibus principibus suis prælaturum esse. Cui eques inquit; Num Dei consilium oppugnare jubes? At Don Alphonsus ait: Si Dei id consilium est, facile puerum defendet; sin contra fraus & impostura; tu illum occides. Eques ivit, prælium iniit, atque ita fortiter se gessit, ut propius locum, ubi puer erat, accedens ipsum sagittâ percussum humi straverit. Pastores Achillem suum prostratum videntes, dilapsi sunt. Quingenti cæsum puerum ignorantes venerunt ad urbem Tudelam, quô cognitô, eques contra illos egressus, plurimos trucidavit: hinc dispersi palantium more, de regno in regnum fugerunt. Principes quoque & præsules, pastores profligatos esse animadvertentes, poenam pro ratione anathematis Pontificii exequuntur. Sicque brevi temporis spatio omnes ad unum

unum periêre; quippe qui non ferro, illi pestilentiâ ceciderunt. Sed sera illa auxilia erant, factum enim infectum fieri nequibat. Sic legi in Annalibus Regum Hispaniarum; atque ex eorum lingua in Hebræam verti. Audivi quoque in urbe Tudela viros divitiis præstantes, infandas miserrimæ gentis calamitates, immensasque rerum ruinas miseratos, ipsorum inopiæ liberalissimè succurrisse; collegisse in granaria triticum, oleum, ut per triennium illa in egentes erogarent. Videntes honoratiores Judæi, qui in Galliis & Germania erant, hæc pietatis officia in fratribus suis, ipsi quoque, ut benignos decet, hoc exemplum secuti, paria benignitatis officia fratribus laborantibus præstiterunt, ut dignissima benignissimis majoribus posteritas; cui quidem benignitati Deus Optimus maximus præmia reddat debita.

VII. Actus septimus disputatio fuit, quæ inter potentissimum & piissimum Regem Hispaniarum Alphonsum, & acutissimum philosophum Thomam exorta est. Rex Thomæ inquit: Adventus tuus in palatia nostræ majestatis perquam gratus est: tu enim tuô consiliô me duces & servabis, ne sanguinem fundam, aut ullam populo Judaïco noxam inferam. Jam enim sextus agitur dies, ex quo

huc venit Servatoris nostri minister, Præsul quidam, qui publice pro concione dixit: Judæos non posse celebrare festum, lingua Hebræa Pesach dictum, nisi sanguine hominis Christiani. Et quanquam in illo Præsule stultitiæ magis, quam sapientiæ manifesta signa erant; tamen hominis verbis plebs fidem habuit. Quid agam? Etiam importuna plebs, ut judicium feram, flagitat: meamque regiam percursat, ut iis propemodum paganus, aut Judæus esse videar, propterea quòd Judæos non malè ulciscar, postquam semel res tam absurda illorum crasso ingenio vera visa est: & quamvis hoc ab omni ratione longe sit alienissimum; tamen scire aveo, quid stultissimis istis mortalibus respondendum mihi sit. Plebs enim cum sit frequentissima, haud ita facilè repelli posse videtur. Scio autem te leges, traditiones & ritus Judæorum probè nosse, ac proinde nec hoc ipsum latere te facilè posse: num hujus rei ullum in lege ipsorum sit vestigium: vel in codice, qui illis Thalmud dictus, Bibliorum quidam velut commentarius est. Tu certè in eo oppido quam versatus, quemadmodum & fama te celebrat, & coram ipsi experti sumus. Quod flagitiosum crimen, si verum fuerit; eos regni nostri finibus exterminabimus: sin falsum, omni ope ut cives me-

os defendere annitar. Deinde expone mihi causam excidii, quod Judæis olim accidit: Ne requiras, quid meâ, quæ Judæis evenerint, intersit; in eo enim arcani quidpiam mihi agitur, quod tibi aliquando indicabo. En deprehendo excidium ipsorum, non naturæ necessitate, nec pœnæ merito accidisse; quippe videmus & audimus multos populos ipsis gravius prævaricatos deliquisse, nec tamen punitos, quin è contrario felicioribus Fortunæ successibus usos fuisse. Ecce tempore Regis Latini vulgo colebatur planeta Saturnus, cujus Rex Latinus diruto templo aliud construxit Lucifero, atque captos Saturni Sacerdotes exussit in ara Luciferi. Lucifer autem est stella lucida, quæ Venus appellatur. Atqui Latini, ejusque populi postmodum tanta fuit felicitas, ut cum eâ nulla posterorum comparari possit. Quin etiamnum tradunt fide digni Historici, in insulis remotioribus Veneris cultum vigere: ubi structum habet templum, in quo supinum jacet simulacrum, quod in se formam penis habet, cui virgo admovetur, quæ illi simulacro incubat, colliguntur destillantes virginei sanguinis guttæ, quibus massa subigitur; de qua qui comedit, sanctus appellatur. Illa puella autem nunquam viro nubit; sed corpore quæstum facit, cujus quidem

 pars

pars altera alimentis puellæ, altera vero ejuſdem templi miniſtris cedit. Facit autem quæſtum immenſum, quippe quicunque rem cum illa habet, æternùm ſanctus habetur. In regione quadam huic inſulæ vicina religio colitur, quæ ſeptem murium, ſeptemque veſpertilionum Deos placat. Audivimus quoque illum populum mira ſoli ubertate beatum, a nullo unquam Rege aut principe ſubactum. Poſt Regem vero Latinum fuit Romæ Rex quidam, qui Luciferi arâ dirutâ, planetæ Saturno templum ſuum inſtauravit. Accepimus autem Romanos regnaſſe à mari ad mare, à flumine ad mundi terminos: ſubegiſſe loca, quæ nullùs hominum unquam ſubegerit. Deviciſſe Germanos & Burgundos, ab omni ævo fortiſſimas gentes. Memoriæ etiam proditum eſt, Lunam coluiſſe incolas Dinis, ut & totum populum Croatiæ, populum Cirſamim atque Boſemim Solem, & Chaldæos ignem coluiſſe; eſſeque in illis inſulis, qui Terram matrem adorant, digni certe, quos Terra obruat, quo Deum ſuum ſuper ſe habeant. Priſcis quoque temporibus loca inChaldæa fuerunt, ubi alii gallinam, alii ſimulacrum capri, pars aſini, nonnulli muli & equi ſimulacrum adorarunt; Aliiadorarunt, quem manè ædes egreſſi primum habebant obvium; qui tamen omnes longè feliciſſimi fue-

fuerunt. Romæ etiam in urbium maxima, quæ acutiſſimos cives habet, fuit Rex quidam, nomine Janus, quem bellis feliciter geſtis, Deum habuerunt, atque ſummum Deorum appellarunt, & ſemper egerunt feliciſſimè. Finge Judæos improbitatis ſuæ pœnas dediſſe; quare pœna ipſorum exilium fuit? Non enim videmus patrem, ſi peccet filius, filium expellere; ſed eum increpare, & filium in ædibus atque palatio patris manere. Ecce autem Judæi vocantur Dei filii, quemadmodum perſcriptum in ſacris literis eſt; ſed Judæos Dei filios vocari uſque ad Servatoris noſtri adventum intelligendum eſt; nam de eo David inquit: Dominus dixit mihi, tu es filius meus. Præterea quæro ex te: ſi peccarunt Judæi, quid peccavit ſanctus ille locus, qui Hieroſolymis eſt? Qui ex authoritate ſacrarum literarum, omnium conſenſu ſanctus habetur. A quo, ut Judæi inquiunt, Deus mundi creationem exorſus eſt. Ubi omnium hominum preces exaudit Deus. Muhammedani eum locum cœli portam appellant. Et Chriſtiani dicunt, inde in Paradiſum animas aſcendere; eundem vaticinii fontem habuiſſe ſacros vates: ibiq; Servatorem noſtrum natum eſſe, quemadmodum David ait; Pſalm cx: vers 3. Scipionem roboris tui emiſſurus eſt Dominus Sione ex utero, ex aurora. Si

jam



jam concedatur: Judæos non culpæ merito; sed naturæ necessitate cecidisse. Nos considerabimus ea, quæ ad bellum aliquod gerendum necessaria esse existimantur, quæ hisce quatuor rebus continentur:

I. Primum est ingenii acumen, atque prudentia, in dolis atque argutis rei militaris fallaciis excogitandis. Atqui totius sacræ scripturæ suffragio, Judæos acumine atque calliditate ingenii reliquas gentes longe exsuperasse constat. Itaque in bellis hujus rei inopiâ nequaquam ceciderunt.

II. Alterum fortitudo & robur est. At ipse hostis Titus fortitudinem Judaïcam celebrat, & disertim ait: Tres juvenes fratres fuisse, qui unam portam Hierosolymitanam per tres dies, totidemque noctes continuas contra totum exercitum ad irritandum hostem tutati sunt; adeo ut ipse tanti dedecoris vindicandi dolore concitatus, totum exercitum convocatum acriter reprehenderit, qui quamvis densi atque conferti fortissime rem gererent, nihilominus de exercitu ceciderunt innumeri: juvenes autem illi intra urbem se recipientes, nullo ex hostibus prohibente, valvas portæ occluserunt.

III. Tertium est opes, ut exercitui commeatus suppeditari possit. Fuit autem Judæus quispiam, qui per biennium exercitui Judæorum frumentum se daturum

rum

rum ultro promisit. Et inde quoque immensa Judæorum opulentia æstimari potest, quod cum Rege quodam bello ipsos lacessente pacti, omne argentum aurumque, quod in templo esset, ei dederint, ut bellum redimerent. Et cum anno proximo Rex quispiam alius eos invaderet, omne aurum atque argentum, quod in templo habuerunt, ei quoque tradiderint: ut narrant sacræ literæ, quæ non tradunt, reliquias tantum aliquas auri atque argenti dedisse, idque adeo ex libris Regum liquidò constat, tantam auri atque argenti jacturam superiori anno factam, uno anno proximo reparasse. Si ejusmodi clades incumberet Hispaniæ, septem totis annis â tanta calamitate populus neutiquam respirasset.

IV. Quartum est multitudo populi: scribit autem Nicolaus Liranus, inter Judæos fuisse bello utilem manum ex una tribu Juda sexcenta hominum millia: Ex Israëlitis autem sagittariorum & hastatorum octingenta millia. Jam vero non reperiatur par multitudo in cunctis gentium regnis. Atque ita parum perspicio, qua ratione gens tanta Judæorum naturalibus de causis cadere potuerit.

Responsio Thomæ: Rex potentissime & augustissime, mira certè narras: Equidem ego animum istum adeo prudentem atque sapientem rem tam ab-

surdam

ſurdam & ab omni ratione alienam ſubire potuiſſe, mirari ſatis nequeo: Si forte credere te neges, diligentius eam ſcrutari in præſentia nihil quidem tua intereſt. Hujus quoque urbis cives Hiſpani, prudentia & acumine ſupra omnes gentes, eaſdem aniles fabulas, inter penſa trahenda ad Lunæ lumina confictas credere audent. Sunt autem hæ meræ artes ſeditioſorum hominum, qui ipſi tenui in re, ex aliorum laboribus diteſcendi cauſas quærunt. Nec cauſam aut colorem ſcelerati iſtius conſilii habent, præter unum Judaïcæ gentis odium; quo impulſi imminent excidio gentis omnium miſerrimæ. Cum alioquin anilibus iſtis fabulis, quas vulgant, nec ipſi fidem habeant; ſequuntur tamen pravum animi impetum, atque in eo imprudentiſſime agunt: quippe Judæorum ille Vindex pollet fortitudine, qui quidem non uti olim, liberabit illos, quia amat; ſed quia Deus optimus Maximus magis humiles, quam magnos reſpicit. Cujus rei ratio manifeſta eſt: res enim humilis & depreſſa maximè ad interitum vergit; Dei autem miſericordia omnia ipſius opera complectitur, nec vult, ut creaturarum vel minima, ſive formica, ſive muſca pereat: quanto minus itaque Judæos legis ſuæ aſſervatores everti patiatur. Quanquam lex ipſa jam eſt abrogata, nunc

attamen cum Deus olim eos ſibi vindicaverit, & nunc exilium ferant intolerandum, in quo ſe Deum & fatum ſequi exiſtimant, certè liberandos aliquando eſſe inde efficitur. Sed ut ad quæſtionem Regis noſtri reſpondeam: Quemlibet cibum, cui homo non aſſuevit, propoſitum reſpuet; atque tacito quodam naturæ ſenſu abominabitur. Si jubeas Chriſtianum comedere de carne canina aut felina, reſpuet atque averſabitur: quemadmodum Judæus eſum ſuillæ carnis vel pinguedinis fugit. Suillam carnem autem, cum hominis temperamento atque naturæ quam maximè ea congruat, cur fugiet? Si ideo, quod paſci ſordidis & obſcœnis pabulis porci ſoleant; quare ergo gallinas comedit, cum in fimo vermiculos, omniſque generis ſordida atque obſcœna ſublegant? Pinguedo quoque animalium præſtantiſſima pars eſt: Sed quia ejus eſui Judæus non aſſuevit: & præterea divinum præceptum acceſſit, ab ea abſtinet. Quanto igitur abſurdius erit, Judæum ita crudelem fore, ut hominem Chriſtianum occîdat, ejuſque ſanguinem excipiat, præſertim cum Judæus in urbe Chriſtianorum verſetur, eorumque imperio pareat: quem ſi in tanto ſcelere deprehendant, vel fruſtillatim concîdant. Quod ſi maximè facere auderet, continuo tamen aliud ab-

ſurdum ſequeretur, homicidium inquam committeret; a quo per legem ſuam Judæi ſeveriſſime deterrentur. Quid jam de effeminata Judæorum ſocordia dicam? Si Chriſtianus aliquis puellus in foro centum Judæos offendat, & alium quenquam eos aggredi jubeat, continuo omnes pavidi diffugient. Et ſi a tuis judicibus, o Rex, hominem quempiam jure capitis damnatum ad ſupplicium produci videant, omnes ſe protinus proripient: quia naturæ ſenſu à ſpectandis etiam inimicorum ſuorum ſuppliciis abhorrent: idque adeo fit, quia dira iis minatus Deus eſt, ut ſacræ literæ teſtantur. Levit. cap. XXVI: vers 36. Inducam mollitiem in animum illorum, & eos in fugam ſtrepitus agitati folii conjiciet. Præterea videmus Judæos nullius animalis ſanguinem comedere, neque etiam piſcium, quem licet Thalmudici magiſtri vocari poſſe ſanguinem negent; tamen, ne quis eum bibat, vetuerunt. A ſanguinis enim eſu, ut re inſolentiſſima, quam maximè abhorrent: quanquam etiam multas gentes ſanguinem edere videant. Quanto magis itaque deteſtabuntur humani ſanguinis eſum, quem nullam gentem edere videant. Obſervet inſuper Rex noſter Judæos, quando fortè panem, quem comedunt, ſanguis gingivarum infecerit, non eſuros

eum;

eum; nisi sanguine primum probè abraso. Constat autem hominem magis alienum, quam suum sanguinem abhorrere. Jam vero sanguinem quoque suum abhorret, quia ei sumendo non assuevit. Quomodo ergo gaudeat alieni sanguinis esu, qui abhorreat suum? Quod quoque Judæis vetitum est mactare obtuso cultro; non alio factum est fine, nisi ut ipsi prorsus liberentur omni sanguinis esu: obtuso enim cultro mactando, animali incutitur terror; quo fit, ut sanguis ad vitæ conservationem in princeps membrum cor confluat, unde mox venis frigore obstructis protinus effluere nequit. Hinc fit, ut animal mactatum ab homine Christiano citius putrescat; quam quod mactat Judæus. Quia per mactationem, quæ fit a Christiano, non effluit universus animalis sanguis. Maximam enim putredinis causam a sanguine esse, mihi experto pro vero constat. Respondit Rex: injurius es, Thoma, qui perinde mea verba accipis, ac si ipse ea crederem, quæcunque ipsi contra Judæos confingunt: idque mihi vitio vertere ausus es. Quicquid autem ex te quæsivi, eo consilio quæsivi, ut certi quicquam ex te cognoscerem, quod imperito isti populo responderem, & tumidos ejus animos placarem. Ad id vero, quod dixisti de vetito Judæis homicidio, re-

ſponderi poteſt. Vetitum quidem eſſe Judæo occidere Judæum: ſed licere Judæo occidere Chriſtianum. Quia ille Chriſtianum vix hominis loco habet. Hûc ſpectat, quod Thalmudicos audivi dicentes: bovem Judæi, ſi Chriſtiani bovem occiderit, impunè id feciſſe. Ac proinde ſi Chriſtiannm occiderit Judæus, id pariter impunitum eſſe debere. Ad quæ Thomas: Hac de re mihi, o Rex, cum primario quodam viro ex filiis Abrabanielis, qui Hiſpali è patria ſua recens advenerat, controverſia fuit; qui dicebat, linguæ Hebraïcæ perito hanc rem minimè difficilem videri: eſſe enim diſcrimen inter paganum, & Chriſtianum ſive externum. Paganus eſt, qui ſuum Creatorem non agnoſcit, nec credit prima illa legis fundamenta. Chriſtianus vero, qui mundi creationem, prodigia, atque providentiam divinam credit; paganus vocari non poteſt. Reſpondit Rex: Nos vero, cum Trinitatem credamus, quo pacto non pagani Judæis habebimur? Thomas ait: celebris ſapiens ille oſtendit mihi interpretationem ante annos ſexcentos & plus eo ſcriptam, a ſummo quopiam autore ultimæ antiquitatis, cujus verba hæc erant: Qui credit eſſe Deum, mundum creatum, vaticinium, vitæ præmium atque

pœnam

pœnam; certe ille habet legem. At Christiani vero credunt hæc omnia: quamvis enim Trinitatem credant, ideo tamen unitatem non negant: quin ipsam Trinitatem Unitatem esse affirmant: Itaque legem habere vere dici possunt. Nec per legem nostram nobis licet ipsos occidere, vel bonis ipsorum damnum inferre, quamdiu regnandi atque dominandi nulla potestas nobis est; nec ipsi imperio nostro subjecti sunt. Et quod illi divina præcepta non servant, ideo tamen non peccant: cum ipsa iis non sint præscripta; sed populo illi, qui Ægypto olim exivit: ex quo quidem exitu; tanquam primo fonte, plurima præcepta fluunt. Porro dixit mihi idem Abrabaniel: esto, nullum sit inter Christianum & paganum discrimen; tamen in promptu est alia luculenta responsio. Thalmudici ajunt: Homini Judæo grande nefas esse, pagano per furtum quidquam eripere: illudque gravius flagitium esse pronunciarunt, quam si Judæus Judæo quicquam surripiat. Quod ipsum, si ita est; num verisimile esse videtur: Bovem Judæi, qui occiderit hominis Christiani bovem, impune occidisse pronunciari. Sane nos invitos confiteri oportet: Aut discrimen aliquod inter paganum & externum, quem Christianum vocant, aut inter ipsos boves esse. Quod liberum

& impunitum id esse dixerunt, inde est: quod non persona ipsa, altera alteri; sed unius res alterius rei damnum inferat: nec Judæus æque probè ac Christianus, qui perpetuo pecora alit, bovem custodire novit. Et quamvis dictum à Thalmudicis sit: damnum a Judaïco bove datum liberum esse; tamen non continuo liberum & impunitum esse pronunciatur, ut quis manu sua damnum pagano inferat, aut fortunas ejus furto auferat: quanto minus illum, liberum erit, occidere? Sed per Thalmudicos magistros hoc quoque liberum esse finge, videlicet occidere Christianum. At certè disertis verbis id saltem eos dixisse oportebat: quia res planè nova atque inusitata est. Rex ait: Multum me, o Thoma, verba tua affecerunt; sed magis Abrabanielis: at tu maximè affeceris me, Thoma, si illum, ut in Majestatis nostræ palatium venire velit, permovere possis. Id vero unum in populo meo damno, quod oderint Judæos, instituta alioquin, justas leges, augustasque virtutes, liberalitatem, elemosynas, aliaque misericordiæ officia dico, seriò colentes: præsertim cum populus sit, qui singulari ingenii acumine polleat. Sed verum rectumque qui amat, odio illos non habebit. De misericordia coram me magni nominis præsul quidam concionem

nem habens peccare eum dixit, qui Judæum canem vocaverit; ſed porcum vocare ob porcinos mores jus faſque eſſe. Caninos mores eum non habere, experimento ſatis conſtat: ſi enim unum canem percuſſeris; omnes canes te inſectabuntur, quo te, qui percuſſeris, certatim morſibus ulciſcantur. Sed ſi unum porcum vinculis conſtrinxeris; continuo grunnit ille, quo audito, omnes reliqui porci porco laboranti eripiendo congrunniunt. Ita etiam cum Judæo res eſt, quando templum noſtrum ingreſſus calicem ſacrum ſuffuratus fuerit; ſubito omnes Judæi, qui illum ſacrilegii ſupplicio eripiant, concurrere ſolent. Sartor Principem ſuum compellat; aurifex Ducem; alii alios fatigant. Hi donis & muneribus; iſti improbis precibus rem gerunt: nec, niſi Judæum ſuum calamitatis periculo liberaverint, quieſcunt. Quod certè nobilioribus virtutibus accenſeri meretur. Ad quæ Thomas ait: Nunquam vidi hominem mentis compotem, qui oderit Judæos; nec quiſquam eos, præter infimam plebis fæcem, odio proſequitur: & ne id quidem injurià, cum odii ſui juſtas rationes habere videantur. Quarum facile prima eſt: Judæorum ſuperbia, & profunda imperii cupido: qui conditionis ſuæ obliti non cogitant, ſe exules eſſe, & ſervitutis malis jactatos, incertis ſedibus

bus vagari; ſed è contrario, ſe rerum Dominos atque Principes videri volunt: hinc populi invidia naſcitur.

Philoſophus autem ait; Odium proficiſci ex invidia, quod nulla unquam componere poſſit ætas. Id unum documento tibi ſit, ô Rex, cum primum Judæi in regnum tuum venerunt, ſervi & exules venerunt detritis veſtibus: Multos annos id habitarunt, nullo pretioſiori cultu, nec ambitione notabiles. Nunquid autem, ô Rex, audiviſti, tum temporis ullam, de ſanguinis eſu, contra ipſos conjurationem eſſe factam? Quod ſi per illa tempora facta aliqua conjuratio eſſet, certè in annalibus Regum Hiſpanorum, laudatiſſimo ipſius gentis more, perſcripta ea eſſet: ut indè certiſſima exempla futuri temporis tutò peti poſſint. Verum haud dubie per ea tempora, cum invidendi cauſam nullam dederint, merito chari omnibus atq; accepti fuerunt. Nunc autem Judæus regnare videtur: Si ducentorum florenorum rem habet; ſibi continuo bombycinas, filiis auro diſtinctas veſtes comparat. Quod nec ipſi Principes audent, quorum annui reditus vel millenos ſcutatos implent. Hinc Chriſtiani in nefaria conſilia coëunt, ſi qua arte, aut vi eos regno expellere poſſint. Per ſuperbiam in urbe Toletana Judæi ad imperium enixi, eo ferociæ proceſſerunt,

cesserunt,ut Christianos percusserint:adeo, ut Principes ipsorum per præconem pronunciari jusserint: Eum, qui Christianum percusserit, in judicio suo pœnas daturum. Verissimè de ipsis ait Salomo Prov. Cap. xxx: vers 21. Sub tribus commovetur terra; sub servo, cum regnat &c. Altera ratio est, quare illos odio habeant: Quia Judæi, cum primum in regnum tuum venerunt, pauperes erant, Christiani vero divites. Jam contra est; Judæus dives, pauper Christianus est. Quia Judæus, ingenii acumine & astutiâ valens, magis quæstum callet. Porro usuræ flagitio maximas corraserunt divitias, quod si rem rectè putare velis, comperies tertiam agrorum & possessionum quarumlibet partem, quæ in universa Hispania sunt, per immanes usuras jam cessisse Judæis. Rex ait: Istæ rationes certè ad conciliandum odium grande momentum habent; quamvis Judæus colorem, quo vafritiem sceleraque sua excuset, habeat; scilicet, quis Christianum cogit a Judæo foenori sumere? Aliam quoque odii causam esse duco, quod videlicet cum Christianis mensas sociare refugiant. Nulla etenim res ita diffidentia corda conjungit, quam familiaris convivandi consuetudo. Adeo, ut etiam in insulis locus aliquis esse dicatur; ubi nullum juramentum sancitur,

 nisi

nisi super pane; quem mox jurantes simul comedunt. Et per Servatorem nostrum, cui quodcunque hoc regni debeo, juravi aliquando graviter excandescens; me velle, aut Judæorum progeniem excindere, aut certe exterminare: quippe audiveram, si in vini poculum, ex quo Judæus bibit, immundum aliquod insectum forte inciderit, illos ejicere insectum, atque vinum haurire. Quando vero nostrum, Christianorum inquam, quispiam poculum vel attigerit, vinum continuo effundere. Ut sic appareat, quam nos impura illis gens habeamur. Tum Thomas: Ista non Judæorum; sed Thalmudicorum culpa est: qui illos durissimorum præceptorum velut ferreis quibusdam vinxerunt compedibus, eaque ita exasperarunt, ut vivendi nulla supersit justa libertas. Verum quidem est, quod S. Scriptura ait: Deut. xxxij: vers 33. Qui adipe victimarum suarum vescuntur, & vinum libaminis sui bibunt. Verum non intellexerunt isti, ibidem sacram scripturam de sacrificiis atque libaminibus Soli Lunæque, ante Messiæ in hunc mundum adventum, oblatis locutam esse. Extiterunt postea Thalmudici isti Magistri, dicentes: Quodvis vinum, extra Fani sui sedem, sacris quibuscunque adhibitum, vetitum esse. Quod ipsum postea ita exaspe-

exaſperarunt, ut quamvis etiam incertum ſit, vinum illud in ejuſmodi ſacris eſſe libatum; tamen ob eam ipſam cauſam, quod id incertum ſit, vinum illud illicitum eſſe pronunciaverint. Rex ait: dixiſti tu quidem, Thoma, culpam illam penes Thalmudicos eſſe: At ego contendo, non niſi penes eorundem diſcipulos eſſe. Mihi enim jam omni modo conſtat, illud, quod ad vinum attinet, ex lege ſua Judæos deduxiſſe. Reſpondit Thomas: Ita certe res habet, quemadmodum id olim Regi patri tuo uſu venit; qui, quem habebat, medico Judæo dixit: Audio nos vobis immundos haberi, atque ideo vos cavere, ne vinum veſtrum contactu noſtro polluamus: Itane Deus vobis præcepit? Tum medicus inquit: ægrotas jam quidem, o Rex, atque hæc una nunc me totum cura habet; ut te priſtinæ valetudini reſtituere poſſim. Nunc mihi quis adferat aquam, o Rex, pedibus tuis lavandis; quod morbo levando erit: poſtea de quæſtione iſta videro. Medicus autem, poſtquam Regis pedes aquâ illâ laverat, de ea ipſa bibit. Quo viſo Rex, jam reſpondiſti ad quæſtionem meam, inquit: Purpurati vero, qui forte aderant; ſe quicquam reſponſi ex eo audiviſſe negant. Medicus ait: quid eſt immundius, illudne, in quo hominis pedes loti ſunt: an quod manu ille, vel ore ſuo contigit? Si nos Judæi vinum

 Chriſti-

Christianorum contactu pollui existimantes aversamur, quomodo hausi aquam pedum, vino illo multo impuriorem. Tum Rex Alphonsus dixisse fertur: Sapuit certè medicus ille, & procul dubio ex Judæorum acutissimis fuit. Ad Thomam deinde conversus ait: Tu vero, quid mihi consilii dederis; quo defendamus Judæos, ne in regno hoc meo pereant? Cui Thomâs: Hoc consilium meum est; ut in regno tuo per præconem edicas: Omnes Possessiones, quas per usuram Judæi invaserunt, dominis suis reddendas esse: idque prout regni hujus visum erit judicibus. Deinde, ne ullus Judæorum bombycinas vestes gestet. Postremo, ut rubrâ aliquâ notâ insignes, Judæi esse agnoscantur. Rex respondit: Consilium istud tuum placet: Sed hoc unum mirari subit, rapinam, exercendo fœnore ipsis lege divina concessam esse. Ad quæ Thomas: Absit, fœnus ipsis a lege permissum esse. Verum Judæi, ut lucripetæ, legi mentem ex avara sua mente affinxerunt. Sacra Scriptura enim inquit: Externo fœneraberis. Intelligitur autem per externum; qui nullam religionem habet. Addit etiam: Fratri tuo non fœneraberis. Nos autem & Judæi fratres sumus: sic enim vates ait Malach. 1. vers 2. Nonne frater est Esavus Iacobo? Ad illa Rex: Interpretatio ista longè alia est

ac

ac illa, quam ego aliquando me audivisse memini. Scilicet, in Ægypto esse quoddam Judæorum genus, qui inquiunt: Externo foeneraberis. Mens est, etiam Judæo. Fratri tuo non foeneraberis. Sensus est; si ipse frater germanus est. Regi in his occupato nonnulli superveniunt, qui nunciant: Se invenisse hominem occisum in ædibus cujusdam Judæi, quem ideo occiderit ille, ut sanguinem ejus exciperet. Rex Thomæ ait: Tu responde imperitis istis hominibus; metuo enim, ne ira subeat ulcisci illos.

Quibus itaque Thomas omnia ea respondit, quæ antea Regi dixerat; eosque quam asperrime increpitos tandem ita affatur: Jam agnoscit Rex morbum, qui vos agitat, vosque rem plane justam petere: detestabiles scilicet isti Judæi facultates atque possessiones vestras invaserunt. Verum jam Rex edici jussit, ut omnia erepta vobis reddantur,. & quod quis acerbo foenore vobis abstulit, illud restituat. Tum vestes bombycinas, cultumve alium vobis similem gestent, vetuit. Hisce tantis Regis in vos meritis, desinite ea petere, quæ petentibus infamiæ esse possint; & stulta ista persequi, ne vos stultitiæ alligetis. Tum populus universus Regem supplex veneratus, exclamat: Vivat Rex noster justi amans!

Rex ait: Vos populus meus, & filii mei eſtis, juro vobis per Sacramentum Servatoris noſtri, nullum damnum vos paſſuros, modo hoc ingenuè confiteamini, quomodo cum homine illo ſeſe res habeat, quem in domo Judæi occiſum vos deprehendiſſe dicitis. Quid verbis ad tutandam cauſam noſtram opus eſt, o Rex, tu divinâ ſapientiâ præditus doloris noſtri cauſam noſti. Judæi enim nos, noſtraſque facultates perpetuo exederunt, per foenora etiam jumenta noſtra erepta habent; ut nobis, quo agros colamus, nihil reliquum fecerint. Itaque hunc dolum confinximus, ſi qua forte Rex, ut Judæos regno pelleret, adduci poſſet. Quibus Rex; Ergo ut audio non Judæus ille; ſed vos ipſi Chriſtianum illum occidiſtis, ut videmini fateri: digni proinde, qui merito homicidii pœnas detis. Tum populus bona verba quæſo, o Rex, quin per noctem illum occiſum in foro invenimus, diximuſque eis, qui forte aderant, nos ſepeliendum eum in cœmeterium deferre velle; verum in ædes Judæi cujuſdam illum projecimus: quod tres civium honoratiſſimi teſtari poterunt. Cum jam per teſtes res conſtaret, Rex juramenti ſui memor, quo dudum impunitatem iis promiſerat, liberos eos dimiſit. Poſtremò multum gaviſus Rex, quod certo deprehenderat, ipſos contra

tra

tra Judæos conjurasse, jussit id annalibus suis inseri. Thomas quoque valdè lætatus, quod rei veritatem sagaci conjecturâ assecutus esset. Tum Regi ad Thomam converso, ac dicenti: Tu popularis furoris causam unus mihi patefecisti, condignum præmium à Deo in futura vita accepturus. Thomas ait: Utinam vero, o Rex, à te in hac vita! Rex ait: Crastino die ad reliquas quæstiones persequendas conveniemus, tum forte etiam à me, quod petis feres; sed ita, si Abrabanielem, si forte in urbe nostra est, una tecum adducas: Sin minus, eum verbis meis per literas huc voces. Tum Thomas: Gaudebis cum viro illo colloqui, o Rex, quem ajunt, adeo antiquâ Regum stirpe oriundum. Ad quæ Rex: Atqui hoc falsum est, nam ut accepimus, regia stirps Judæ tota excisa est tum temporis, quando Nebucadnezar Judæos bello subegit: metuebat enim ille, ne, si quid superesset regii sanguinis, ejus ductu atque auspiciis resumptis animis & armis populus pristinam libertatem vindicaret. Tum Thomas: At constat, o Rex, eo tempore, quo Nebucadnezar Hierosolyma oppugnatum ibat, eo illi à potentissimis Regibus auxilia missa fuisse: partim, quia Nebucadnezarem totius terrarum orbis dominum verebantur, partim quoque impulsi Judæorum odio,
quod

quod contra ſacra ipſorum animis conceperant. Inter Reges illos, qui tulerunt ſuppetias, facilè princeps fuit Rex nomine Hiſpanus, a cujus nomine Hiſpania appellata eſt: qui cum Pyrrho, Rege Græcorum genero ſuo, Hieroſolyma contendit. Hic Pyrrhus autem & Hiſpanus ſuo robore & fortitudine Judæos profligatos ſubegerunt. Atque hi illi ſunt, qui Hieroſolyma ceperunt. Rex vero Nebucadnezar, eorum auxiliis & fortitudine adjutus, prædæ & mancipiorum partem iis regio more conceſſit. Præterea quoque conſtat, o Rex, fuiſſe olim Hieroſolymis tergeminum parietem, à Septentrione ad Meridiem, & ab urbis extimo muro, qua Occidentem ſpectat, uſque ad primum parietem omnes habitabant opifices: loco autem omnium primo aromatopolæ; opus enim habebant ad obeunda ſacra aromatibus, atque de illis aromatopolis vates ait: Ejulate habitatores cavi.

A primo pariete uſque ad ſecundum, omnes ſtudioſi agebant atque mercatores. Quippe Sapientes magis mercatoribus, quam mercatores Sapientibus indigent: idque hac ſola de cauſa, quod mercator non intelligat; ſibi Sapientiam: Sapiens vero intelligat, ſibi deeſſe pecuniam.

Quod intererat inter ſecundum & tertium parietem,

tem, id tenebat ſtirps regia; tota ſcilicet familia Davidica, atque ſacerdotes aræ miniſtrantes. Cum Hieroſolyma inter illos Reges dividerentur, Rex Nebucadnezar priores duos parietes, omnemque vicinum populum, & reliquas Judææ civitates ſibi ſumſit, eoſque captivos in Perſidem & Mediam abduxit. Tertium vero parietem Pyrrho & Hiſpano reliquit. Pyrrhus autem captivos omnes navibus impoſitos, in Hiſpaniam antiquam, quæ Andeluſia dicitur, & in urbem Toletum avexit. Inde, cum maximam hominum frequentiam terra haud capere poſſet, in alias etiam terrarum oras delati ſunt. Pars regiæ ſtirpis, quæ petiit Hiſpalim, inde porro Granatam perrexerunt. In excidio ſecundæ ædis, fuit Imperator quidam Romanorum, qui toti terrarum orbi imperitabat: Hic aſportavit Hieroſolymis quadragies millenas familias de tribu Judæ, Hieroſolymis inquam & ex reliquis urbibus. Itidem decies millenas de tribu Benjaminis, & ſacerdotibus. Illos in Hiſpaniam miſit, quam tum imperio tenebat. Maxima autem pars tribus Benjaminis, & Sacerdotum petiverunt Galliam; nonnulli quoque de tribu Judæ, adeo, ut omnes Judæi, qui in regno tuo agunt, regiâ ſtirpe prognati ſint; aut certè maxima illorum pars ex tribu Judæ. Quid igitur miraris, o Rex, ſu-

pereſſe adhuc, qui genus ad Davidem referant? Reſpondit Rex: quæ ne fando quidem unquam audivi, mihi narras, & niſi genus tuum probe noſſem, te quoque ex Judæis prognatum eſſe crederem, quippe ita diſertâ oratione cauſam eorum fortiter agis. Ad quæ Thomas: Optime maxime Rex, quanta me iſtoc verbo afficis contumelia? & haud ſcio, an ulla major, aut inſignior eſſe poſſit. Cui Rex: Modo negavi, te ex illis genus ducere: quod ſi dixiſſem maxime, Judæis te eſſe ortum; ſed jam ex Judæo Chriſtianum eſſe factum, hui! quantam tibi infamiæ notam inuſſiſſem? Certiſſima illa quidem res eſt: non eſſe in reliquis omnibus populis quenquam, qui originem, ſtirpem, & perpetuam generis ſui ſeriem enumerare poſſit: quemadmodum, quantumvis miſeri, Judæi poſſunt, vel eâ gloriari ſaltem ſolent. Quid? majores noſtri potentiſſimi Reges gloriari auſi ſunt, ſe ſtirpem & genus Gothis debere. Quin nonnulli Hiſtorici referunt; Gothos ex ſtirpe Gad, qui patriarchæ Jacobi filius fuit, oriundos eſſe. Cujus de gente aliquis, poſtquam Romam veniſſet, & Chriſtianam religionem amplexus eſſet, rebus feliciter geſtis, conſulatum adeptus; tandem quoque ad regium faſtigium evaſit: ab illo originem traxit gens Gothorum.

Et

Et cum reliquarum gentium ortum perſcrutatus fueris,non invenies,quà natæ illæ ſint origine.Ecce! Romani, qui terrarum orbis imperium ad naturæ uſque terminos, Cimmerios montes dico, protulerunt, eorum, inquam, genus ambitioſè quæritur, nec invenitur. Salluſtius genus ad Trojanos refert. Virgilius id à Græcis arceſſit. Alii a Romulo originem eorum deducunt. Ex quo Imperatores rerum potiri coeperunt, familiarum ſeries conturbatæ ſunt. Prima imperii ſedes Roma fuit, inde Conſtantinopolim tranſlata, quæ cives Romanos accepit, qui una cum Imperatore Conſtantino eò commigrarunt: unde hodieque Græci ab urbe Roma Romani appellantur. Verum hos ſecuti Galli, dictitarunt: Romanorum originem eſſe ignotam; ſed ſe Gallos, regiâ Eliſaſi ſtirpe prognatos eſſe: Itaque imperium in Gallias per Carolum Magnum intulerunt.Hinc prodierunt Germani,dicentes:Nullam illorum, præterquam ſibi, certam eſſe generis originem; itaque bello illato, Gallis imperium ablatum, Germaniæ per imperatorem Antonium vindicarunt. Verum hi & iſti ſuam ipſorum originem ignorant. Sed hoc uſque adeo quidem mirum videri non debet, cum etiam in religione noſtra ignoretur Servatoris noſtri genus. Matthæus enim

refert illud ad maritum Mariæ Josephum, & tradit illum ex familia Davidica fuisse. Lucas vero eundem jam memoratum Josephum ex regia familia fuisse negat. Nosque credimus Josephum Mariam non cognovisse, nec ante, neque post natum Jesum; sed solo Dei Spiritu concepisse. Quod si ita est, quâ ratione genus ad Davidem referet? Dicimus enim, Hobet genuit Isai, Isai genuit Davidem. David genuit Jesum. Tum Thomas inquit: Mariæ genus deducitur a Rege Davide, adeo, ut nihil absurdi jam in religione nostra esse videatur; si dicatur Servator non ab homine aliquo; sed a summo Deo, ejusque spiritu genus ducere. Tum Rex: Ego vero Servatoris nostri genus certo ita habere, ut dicis, minime dubito, cujus immensæ benignitati me, meaque omnia committo. Hoc unum tantum volui: non omnino certam familiarum originem esse. Et si hi miseri Judæi originem suam retinuerunt certam atque integram; quemadmodum magnus vates Bileam prædixit Num: xxiij. vers 13: Gentibus non annumerabitur; Hocne iis vitio ducimus, quod maximè laudi ducendum est? Quippe quod reliquis gentibus non fuerunt permisti, ideo ipsorum origo atque prosapia certo agnoscitur: quemadmodum continuo idem ille vates ait: Num: xxiij: Quis numeret

meret pulverem Jacobi? Hic Thomas ad principes conversus inquit: Quis Regem ausit, cum Regium fastigium, inter mortales sacrum sit atque augustum? En ipse Rex altero tanto honestius & magnificentius, quam ego, de Judæis & loqueris & sentis. Nec quisquam est, qui libere dicat tibi, quod tute modo dixisti mihi. Rex autem: Quicquid dixi tibi, Thoma, verè quidem; sed tamen festivè dixi: id in pejorem partem rapere noli. Convenit autem, ut jocis his omissis, seria magis agamus. Igitur quæro ex te, quandoquidem inter alia dixisti: legis divinæ præcepta, non nisi populo Ægyptum egresso data fuisse. Quod vere quidem abs te dictum; si præcepta ea spectes, quæ ab ipso egressu dependeant. Verum reliqua præcepta, ut statuta & vera lex, quidni & Christianis data sunt? Thomas ait: Judæos aliquando ad hæc in hanc sententiam respondisse: Frivolam istam quæstionem esse videri, & perinde esse, ac si quis quærat: Cur asinum Deus non fecerit Philosophum? aut mulum vatem? aut quare non par lumen Lunæ atque Soli dederit? Cui Rex: Non rogavi te, Thoma, quid imperiti isti dicant; sed tu quid sentias, nisi æquè, ac illi, imperitus haberi velis. Thomas inquit: Hac de re mihi quoque cum Abrabaniele fuit controversia, verum

eo nomine illum jam diu odio habeo; quantumvis cætera virum ſapientiſſimum. Rex ait: Peccaſti Thoma, cùm odia in controverſiis nulla exerceri debeant. Dic ſanè impunè, quicquid illud eſt, quod ſapiens ille reſponderit. Thomas inquit; Reſpondit ille: corallium eſſe mediæ naturæ inter corpus inanimum, ut metallum; & animatum non ſentiens, ut plantam. Spongiam eſſe mediæ naturæ inter corpus animatum ſenſus expers, ut plantam: & corpus ſentiens ratione carens, ut beſtiam; nam ſenſum habet. Simiam eſſe mediæ naturæ inter corpus ſentiens ratione carens, ut beſtiam: & rationale, ut hominem. Hominem vero, puta non Judæum, eſſe mediæ naturæ inter corpus animatum expers rationis, beſtiam, & hominem Judæum. Judæum eſſe mediæ naturæ inter cœlum & terram. Cœlum vero eſſe mediæ naturæ inter Angelos & Judæum. Proinde Judæi alimenta a reliquorum hominum cibis plurimum differunt. Planta enim alitur terra: beſtia vero plantis; omniſque planta beſtiæ palato grata. Homo autem, qui gradu uno excellentior eſt mutis animantibus; non alitur herbis, niſi quæ temperamento ipſius quam maxime congruunt: Præterea etiam animalibus, nec quibuſlibet tamen: non enim equo, mulove alitur. Et Judæus, qui

gradu

gradu uno excellentior eſt homine; nullis, niſi certis quibuſdam animalibus veſci ſolet: & quidem poſt multum denique apparatum, ut ſalis aſperſionem, elutionem; & pinguedinis, ſanguiniſque rejectionem, donec caro illa in tantum mutata, non jam caro; ſed alius quiſpiam cibus eſſe videatur: utque animalium carnes edere ne dici quidem vere poſſit. Chriſtianus autem ſine ulla mutatione promiſcuè animalibus veſcitur: proinde de cibis vates inquit: Levit. xx: vers 26. Et ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei. Sic & præcepta non ſunt data, niſi qui gradu naturâ humanâ eſt ſublimior: hinc de Judæis ait: Exod. xix: vers 5. Utique eritis mihi peculium præ omnibus aliis populis. Hæc quidem, cur vobis illa præcepta non data fuerint, vera ratio eſt. Rex dicit: Quænam tua, O Thoma, ad hæc reſponſio fuit? Thomas, ſe ex æquo & vero illi reſpondiſſe, ait: Nimirum omnia illa præcepta, non nobis Chriſtianis data eſſe, propter naturæ excellentiam atque propter perfectionem noſtram. Pinguedo enim & ſanguis libidini alimenta miniſtrant; ſuppeditat & ea ſuilla: itemque reliquorum animalium caro, quorum eſu per legem iis interdictum eſt. Judæi autem avidè captant voluptatis illecebras, & libidinis irritamenta:

quem-

quemadmodum de illis Deus ipſe, univerſi conditor teſtis eſt: Ezech. cap. xvj: vers 35. Propterea meretrix audi verbum Domini. Proinde neceſſe fuit, eos monere; eorumque eſu, quæ libidinem irritant, ita ſevere interdicere. Verum Chriſtiani, qui temperamenti nobilitate pollent, virtutum perfectione omnia pro temperamenti ſui natura in melius convertunt: quemadmodum mel amarorem corticis mali Punici in dulcedinem mutare ſolet. Rex ait: Quam vero cauſam eſſe dixiſti, quamobrem reliqua præcepta, quæ de ciborum delectu non agunt, nobis non ſint data? Thomas inquit: Ea quoq; propter excellentiam, & naturæ noſtræ nobilitatem nobis tradita non ſunt: pauca enim, quo ad perfectionis metam provehamur, nobis ſufficiunt: ut qui firmâ ſunt valetudine, ſi forte in morbum incidant, facilè etiam levi medicamento ad priſtinam valetudinem redeunt: quia à natura ingenitum quoddam robur habent. Alii vero, corpore per ſe natura debiles, multis medicamentis amiſſam valetudinem vix recuperant. Quales ſunt Judæi, quibus ad frugem revocandis, ſexcenta & tredecim præcepta nihil quidquam profuerunt. Ego autem Chriſtianum ſphæræ diurnæ; Judæum vero lunari comparo: & quemadmodum, teſte Philoſopho, Angeli, quia

ipſi

ipſi omnes ſunt meræ intelligentiæ, propter perfe-ctionem ſuam opus non habent, ut actionem aliquam agant in ſeipſis; ſed tantum motum in ſphæris. Sic ſphæra diurna, quia ipſa corporum omnium ſummum, actione in ſeſe opus habet, quæ motus eſt: unus autem motus illi ſufficit. Proxima vero ſphæra, longius à perfectione recedens, ad ſui perfectionem duos motus habet. Lunaris ſphæra multos motus habet: eò quod à ſummo longiſſime abeſt. Rex ait: Optime tu quidem reſpondiſti, Thoma; verum ad verba ſapientis illius quod attinet, illa, quo minus cum illo amicitiam colas, obſtare non debent. Conſtat enim, nullas leges, nullam religionem, niſi virtute & beneficio opinionis ſalvam eſſe poſſe. Opinatur Judæus, aliam legem, aliamque præter ſuam religionem nullam eſſe. Et qui aliud quid credit, eum pecudis loco habet. Atque hinc eſt, quod audivi, illos, cum ſepulcreta noſtra prætereunt, hunc in modum dicere ſolere: Pudeat matrem veſtram, &c. Chriſtianus autem, Judæum credit belluam, humanam formam mentientem; cujus anima imis Tartari clauſtris detinetur. Si vero, quid de nobis videatur, rogaveris Muhammedanum; reſpondebit, utriſque noſtrûm Tartara foeta laborare. In

remotis & longinquis insulis, muli simulacrum adorant, idque in militaribus signis sublime gestant: & qui procero corpore id attingit, deosculatur illud. Si qui fortè ex Christianis eo deferantur, eos deridere solent, objicientes: simulacrum hominis ipsos adorare, quamvis id omnium sit præstantissimum, adeo, ut Dei solio insidere dicatur. Ezech. cap. j: vers 26. Similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et de animalibus inquit: Similitudo autem vultus eorum facies hominis. Deus quoque, qui omnia simulacra à Judæis quam longissime remota esse voluit; jussit tamen eos facere Cherubim in Fano, qui humanam formam referrent. Tum Rex: Sed nunc tempus est, incidere hos sermones; Sol enim jam occidit. Crastino die revertere, quandoquidem sermo tuus longe fuit mihi gratissimus. Postridie Rex reverso Thomæ ait: Heri inter nos sermonem multum produximus; sed ad veram Judaicæ cladis causam, nihil, quod sciam, adhuc responsum fuit. Ad quæ Thomas: Principio, quod de te, o Rex, audiverim, id quæram ex te. Cui Rex: si quid mali feci, adesto, qui arguat me. Thomas inquit: Ad bellum misisti ducem quendam, cui, cum eo peccasset, & rem male atque improspere gessisset, edixisti, ne unquam

in

in conſpectum tuum rediret. Poſt alius dux ad bellum ivit, quem pariter peccantem liberum atque impunitum dimiſiſti: ubi nunc, Rex, juſtitia? paribus delicto ſupplicium impar. Reſpondit Rex: Hæc tibi, qui narravit, verum non indagavit. Priorem ducem monui, & præceptis de tota militia gerenda ſeorſim inſtruxi; verum ille contra, ac ego præceperam, rem geſſit. Poſterior quanquam in militiam abierit, miſſus tamen cum poteſtate non erat; ſed cum mihi officium præſtare velle videretur, ſponte ſua abiens, rem pro prudentia ſua geſſit. Quare igitur ille intempeſtivi ſui officii morte pœnas daret? quodnam tantum ſcelus commiſit? Thomas ait: Conſidera quæſo, o Rex, quod tute modo dixiſti. Primus dux, Judæi ſunt; quibus data ſunt mandata de fugiendo cœleſtium cultu: ad quos adierunt quadraginta vates poſt Moſis obitum, qui illos officii ſui admonuerunt. Verum in vetitum nitentibus, Deus in poſterum conſpectu ſuo interdixit; quemadmodum ipſe in ſacris literis ait: Deut. xxxj. cap. 18 vers. Ego autem abſcondam & celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala, quæ fecit; quia ſecutus eſt Deos alienos. Deut. xxix. v. 27. Et ejiciet illos in terram alienam, quod nunc experientia comprobat. Verum omnes

reliquos populos, qui Deaſtris litant; nec ad ſui cultum Deus vocavit, nec præcepta ulla iis præſcripſit: ſed ipſi, pro ſua ſapientia, ſidera cœli colenda eſſe putarunt: quemadmodum, ſi quis Purpuratos Regis veneretur, quo ipſi Regi obſequium magis approbet. Proinde ſic de Judæis loquitur Amos cap. iij: vers 2. Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ; idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. Ad hæc pœnas quoque dederunt: quia nulla ex reliquis gentibus eſt, quæ duos ſimul Deos veneretur: Nam qui duos dicit, unum eſſe negat. Judæi autem pluribus Diis litarunt, ita ut habuiſſe dicantur in urbe Samaria trecenta & ſexaginta quinq; templa Deaſtris ſacrata, pro dierum ſolarium numero: & quotidie per ſingula templa ſingulis Diis litaſſe; ultimo vero anni die per univerſa univerſis. Eaque res quam maxime inviſa Deo eſt: plures enim & unus ex diametro pugnant. Trinitas vero non pluralitas; ſed, ſi rem accuratè putes, mera eſt Unitas. Vidi quoque tres Germanos, ſapientiæ fama inclytos, a quibus didici ex libris Cabbaliſticis; quin etiam ipſe oculis meis vidi, ut explicatum fuerit, quomodo Trinitas ſit Unitas. Hic illos rogavi: Utri virtute præſtantiores eſſent, illine, an majores ipſorum? Reſpondebant illi: Certum hoc eſt, omnes noſtras virtutes, ſi

in

in unum conferantur; ne cum minima quidem majorum nostrorum virtute esse conferendas. Templum quoque, divina benignitate post septuaginta annos illis restitutum, eximias ipsorum virtutes satis superque arguit. Tum ego instare: Si illi vobis fuerunt meliores, qui tamen simulacra multa coluerunt; cur vos itaque Trinitatem non creditis? præsertim cum Trinitas sit absolutissima Unitas, uti ex libris vestris Cabbalisticis liquidò demonstrari potest. Illi contra responderunt: Se majorum exemplo, qui, quod plures Deos coluissent, gravissimas pœnas dederint, satis edoceri; talem cultum cane pejus & angue fugiendum esse: maxime cum ab omnibus vatibus serio moniti fuerint, si Deastris litaverint, ipsos gravissimam cladem esse accepturos. Rex ait: Rectius tibi responderunt illi, quam tu illos rogasti. Thomas inquit: Si Trinitas est Unitas, tum illud argumentum scilicet quod majores ipsorum, propter multorum Deorum cultum puniti sunt, & ipsi ob eum se puniendos esse putant, nihil habet ponderis: quia non jam multos; sed unum Deum colunt, si Trinum colunt. Cui Rex: dicam Thoma, est longe mihi alia mens, quam iis, qui ante me regnum hoc tenuerunt. Illi conati Judæos ad sacra Christiana cogere, nihil quicquam

promoverunt: nam quantumvis palam coacti, intimis tamen animi sui sensibus Judæi esse non desierunt. Et verum illud verbum est, vulgo quod dici solet: Tria aquarum genera male perire.

I. Aquam baptismi, in hominem Judæum effusam.

II. Aquam dulcem in mare influentem.

III. Aquam vino affusam. Atque hujusce rei in promptu causa est. Cum enim Judæi olim viderint stupendas illas stationes, sancta illa loca, illa prodigia & portenta, ipsumque ignem in legislatione cœlitus demissum, illarum rerum imaginem animis suis penitus insculpsere: quæ postea in naturam abiit. Proinde antiquam illam, jam penitus impressam imaginem delere, novamque induere velle; id vero sit, naturam ipsorum evertere. Christiani vero, ubi primum Christianæ fidei formam induerunt; nullam ante cœlitus fidei formam acceperant, præterquam eam, quam ingenii sui solertiâ confinxêre; & ea simulacrorum cultus fuit. At qui certam non habet formam, ille cuilibet recipiendæ aptior est. Thomas inquit: Proin ego assero, fieri haud posse, ut animis Judæorum lex Mosaïca evellatur; nisi beneficio ignis, per quem data est. Rex ait: Vere tu ista quidem, Thoma; at objicient illi: Non tuum id; sed ipsius

ipſius Dei eſſe: quam igni tulerit, eam igni tollat. Atque id ipſum in cœna apud patrem meum audire me aliquando memini ex duobus legatis, quorum alter Don Joſephus, Benveniſtæ filius; alter Solimanus, Jahiſi filius erat; miſſis ab Algamaſo Caſtellano. Cum forte quidam ipſos coram patre meo, ad ſequenda Chriſtianorum ſacra hortaretur, in hanc ſententiam reſponderunt: Legem ſuam latam eſſe, aſpectantibus ſexaginta hominum myriadibus; per prodigia, clariſſima divinæ majeſtatis indicia, ignemque coelo delapſum. Omnino itaque æquum eſſe, ut eodem, quo lata lex eſt, modo abrogetur. Proinde Deus optimus maximus ipſe veniat, noſque ad montem aliquem convocet; nobis majeſtatis ſuæ fulgorem oſtendat, & jubeat, omiſſâ lege Moſaïcâ, nos Chriſtianam ſequi: tum demum aliquando conſtabit, o Rex, an pervicaciam pro cauſa noſtra induturi ſimus. Quare ob hanc cauſam, pervicaciæ damnandos Judæos eſſe negavi: præſertim cum Servatoris noſtri res, non ſint ad captum noſtrum, quanquam non omnino ſupra captum ſunt. Proin religio noſtra non lex; ſed explicatio legis vocatur: quam ad mortem uſque ſequi, mihi certum eſt; quæ me ſervabit, & in Paradiſum inducet una cum Regibus, meis majoribus.

ribus. Non eo hæc dico, quo eorum causæ patrocinari videar; sed eo saltem hæc refero, ut potestatem nobis deesse ostendam, quâ eos ad deserendam legem suam impellere queamus. Thomas ait: At quam multa absurda sunt, quæ tamen illi credunt! Cui Rex: recense nobis aliquot. Thomas inquit: Judæi ajunt: Cum ad montem Sinai consisterent, Deum ipsis cœlos desuper rupisse, cum tamen cœli noxam nullam, aut rupturam admittant. Tradunt quoque, Deum sedisse in tentorio Mosis, unde efficitur: quod ille corpus habeat. Quamobrem igitur religionem Servatoris nostri aversentur, videlicet, quia ille corpus habuit? Ajunt quoque, in æde secunda ignem, accendendis victimis, non descendisse de cœlo; sed ex inventa forte in monte Moria scrobe, quæ oleo plena erat, petitum oleum, & superfusum lignis in ara structis, in ignem fuisse mutatum. Narrant præterea, vatem Habacuc, cum messoribus cibum laturus rus abiret; ab Angelo prehensum, plurium parasangarum iter in leonum foveam ad Danielem fuisse delatum: ubi cibo potuque una sumtis, cum Habacuc ad messores reverteretur, nondum etiam prandii horam adfuisse. Tum memorant quoq;, viri cujuspiam justi capras, cum lupis congredi ausas, eos devorasse:

rasse: id est, oves devorasse lupos. Alius addit, eundem illum virum justum lampadi acetum infusum pro oleo accendisse. Rex inquit: Et ego paria Judæorum deliria sæpe audivi. Ajunt: Avem quandam posuisse ovum, quod fractum sexaginta urbes inundaverit. Ferrum quoque aliquando in mare projectum, perpetuo septennio nondum ad maris fundum delatum. Equidem valde dubito, utrum sapientissimi homines, qui hæc tradidêre, istis fabularum involucris abstrusam & reconditam quandam sapientiam texerint; An vero delirus & improbus quispiam, ejusmodi nugas Thalmudi inseruerit; quo Judæorum scripta, per omnium gentium ora traduceret. Utut est: Ex eo tamen nulla certa ratio peti potest, quâ ad credendam Trinitatem impellantur: quinimo hæcce in vulgi animis religionem confirmant; ut quæ arguant, Deum omnia posse, eumque curare viros bonos, qui rerum propter illos naturam mutet: fortassis hoc ipsum significavere illi, qui hæc scripserunt. Trinitas autem evertit religionem illorum, qui unitatem credunt. Deest & vulgo id ingenii acumen, quo verum perspiciant: qua ratione tres unus esse possint. Hinc oggerant tibi, se credituros ea, quæ fidem suam confirment; non ea, quæ evertant. Thomas

 inquit:

inquit: Hæcce utique dignissima, quæ scripto consignata referantur ad sapientem aliquem virum, ut super iis sententiam suam rogetur. Sed nunc ad propositum revertar, ostendamque causam Judæorum excidii à natura, si minus verisimile videatur; certe a poena esse. Quod attinet ad divitias & opes, o Rex, quas supra memorasti: illæ longè iis amplissimæ fuere. Unus ecce Salomo, ædi sacræ impendit mille & octo talenta auri; septiesque mille argenti. Populi quoque incredibilem frequentiam, atque propemodum infinitum numerum fuisse, annalibus fuse perscriptum est, qui referunt; fuisse in Israële undecies centena hominum millia, qui militiæ idonei essent: & regii sanguinis quoque viros ad quadringenta & septuaginta millia. Rex ait: Duo apprimè miratus sum.

I. Unde Salomo tam immensas pararit divitias.

II. Quo pacto imminuti adeo sint Judæi, cum tot myriadibus, ut dixisti, continerentur.

Respondit Thomas: Præter incredibilem illam divitiarum vim, illi quotannis navibus ex Ophir advehi solitam, ipse quoque amplissimas opes à patre relictas habuit; quas ex gentium rapinis coëgerat: Proinde ex illis Salomo templum struere noluit. Rex inquit: Mediusfidius jam periisti, Thoma,

qui

qui mihi atque omnibus Regibus maledicas: num id, quod Rex armis hoſti eripit, rapinæ nomen meretur? Sed ſapientiæ tuæ iſtud libens remittam hodie. Quin tu mihi nunc cauſam expone, quamobrem vires Judæorum adeo fractæ atque imminutæ fuerint. Thomas ait: Atrociſſimis bellis exhauſtæ Judæorum vires tanti mali cauſa fuerunt, ut jam dicturus ſum; quos vero reliquos belli rabies fecerat, in regnum tuum delatos eo ipſo anno peſtilentia ſæviſſima afflixit. Et iſti quoque ſunt illi, qui primo dirum hoc malum humano generi intulerunt; nempe ex oraculi fide: Deut. cap. xxviij: vers 21. Adjunget tibi Deus peſtilentiam. Tibi ait; & non genti alii. Atque hoc malum ſoli iſti genti incubiturum intellige, quamdiu patriam ſuam, ſedeſque antiquas tenerent. Verum ubi inde migrarunt, nobis quoque luem iſtam affricuerunt; ex hoc argumento: Væ malo, & væ illius vicino! Rex reſpondit: ſi mihi alius quiſpiam hæc diceret, Thoma, dicerem eſſe dignum Helleboro caput.

Quid autem? Tullius, qui te multo ſapientior, autor eſt, quinquaginta annis ante Judæorum in Hiſpaniam adventum, paſſim ſævientis mali rabie tantam hominum vim abſumptam, ut exhauſtis penitus civitatibus, vix quiſquam ſuperfuerit, qui

vel maximarum urbium,præsertim Cordubæ,Toleti,Hispalis portas recludere valuerit.Ipse quoque vidi pestilentiam satis sævam, quæ ex Christianis abriperet quotidie centenos, ne uno quidem, quod prodigii instar esset, pereunte Judæo: ut etiam per noctem, suos liberos in Judæorum domos perduxerint Christiani; quo tutiores a dira lue esse possent. Atque in urbium maxima Roma, vicinisque agris pestilentia tribus continuis annis adeo grassata fuit, ut crederent, Deos sibi infestos, tam dirâ pertinacissimi mali lue excindere se totos velle. Satis quidem verorum criminum per se Judæi habent; licet innoxiis atque immerentibus etiam falsa non imponas: propeque ausim dicere, te primo ipsorum causæ patrocinari videri voluisse, quo postremo virus hoc in eos liberius evomeres.

Sed ad rem: nondum etiam explicatum fuit, quæ excidii ipsorum causa naturalis fuerit. Respondit Thomas: audi igitur, Rex, certissimam excidii causam, magnitudinem superbi imperii, jam mole laborantem sua. Exemplo arbor est, quæ quo magis attollitur, eo opportunior est ad casum: quia ventorum rabie tanto acrius agitata, facilius evertitur. Sic Judæos, superbia tumidos depressit ille superborum ultor Deus, in quos vates ait: Lament: Jer.

Jer. cap. ii vers 1. Projecit de Cœlo in terram tumidum Iſrael. Quæ verba ad exemplum hoc, quod de arbore dixi, videntur alludere; aſcenſus enim illorum ad aſtra ruinæ cauſa fuit. Quia alter altéri ambitioſè ſe præferri voluit, donec certatim in partes iretur. Quis adeo imperitus eſt, illud ut ignoret, cum cæteri omnes parem ferant, ſolum ſuperbum parem, aut æmulum ferre non poſſe? Superbia odium peperit: Odium factiones. Hinc omnes ſibi certatim imperium. vindicare. Et quo aliis dominarentur, advocarunt externas gentes, quæ cognitis occultis reipublicæ vulneribus, & inteſtinis animorum diſſidiis, exuto Judæorum metu, contemptum induerunt: eoſque aggreſſi, bello profligarunt. Lament: Jer: cap. IV. vers 12. Non crediderunt Reges terræ, quod ingreſſurus eſſet hoſtis, & inimicus per portas Hieroſolymorum. Nec hoſtium impetum ſuſtinuêre; quia frequentiſſimus populus civilibus diſcordiis exhauſtus, & ad pauciſſimos redactus, minus valuit; ac omnes pro animi ſui libidine cuncta gerebant, quo inter ſe ſimultates atque diſcordias acrius exercerent. Quo ſane vulnere, vires eorum conciderunt, ut tanta inutilis turbæ frequentia, defendendæ reipublicæ nihil quicquam profuerit, de quibus hoc

vates pronunciat: Esai. Liij. vers 6. Omnes nos quasi oves erravimus. Physici tradunt; in nullo animalium genere, quam in ovibus, majorem esse stultitiam: hinc vatis illæ voces, quasi oves erravimus. Imo illæ ipsæ naturæ dotes, quæ ovibus adsunt, Judæis defuerunt. Oves enim societatem & concordiam amant; contra Judæi omnes diversi, pravam animi lubidinem secuti fuerunt. Adeo ut de iis intelligendum oraculum esse videatur: Unusquisque in viam suam declinavit. Hinc ex ingenita gentis pravitate, inter ipsos simultates & discordiæ natæ sunt. Quam belle igitur hoc interpretatus est Nicolaus Liranus, origine Judæus, Judaïcarum rerum scientissimus: qui ad verbâ versus hujus 3. Exod: cap: xxxv. Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris die Sabbathi. ait: Hic non de igne proprie sumto Deum loqui: quia jam ex præmissis istis verbis, Exod. xx. vers 10. Ne facito ullum opus, vetitus esse intelligebatur. Sed Deum loqui de igni dissidiorum: ne illum Sabbathis suis accenderent, qui Judæis, dum otia agunt, pravus mos esse solet. Rex inquit: Belle illud interpretatus est fur domesticus ille & transfuga. Verum, quod attinet ad negotium Sabbathi, in eo propemodum expostulem cum Servatore nostro

ſtro Chriſto; quod nobis non præceperit Sabbathum colendum: imprimis cum id deducat ad cognitionem rerum in principio creatarum: quemadmodum Chriſtiani cum Judæis unanimi conſenſu credimus omnes. Si dixeris: Diem Solis ejus loco eſſe: Tum id verum eſſet, ſi Chriſtiani eum obſervarent feriando a laboribus; Verum non obſervant eum, niſi comeſſando & prodeambulando. Sed Judæi eum obſervant, vacando a laboribus, & divinam legem lectitando. Sic & Muhammedani, die ſexto legunt ſuum Coranum, in quo nobis præſtantiores videri debent. Ad quæ reſpondit Thomas: Chriſtiani haud tenentur ceſſare a laboribus; quia in Sabbathi obſervatione duo attenduntur.

I.° Memoria mundi creati.

II. Memoria ſervitutis, quondam Ægyptiacæ. Quemadmodum ſacræ literæ dictitant: Deut. v: vers 15. Memento, quod & ipſe ſervieris in Ægypto. Chriſtiani autem, qui nec Ægyptum unqnam ingreſſi, nec egreſſi fuerunt; adeoque ſibi nullius ſervitutis conſcii, nihil neceſſe habent, intermiſſo labore, Sabbathum celebrare. Quandoquidem incidimus in hunc ſermonem: quæram ex te, quid cauſæ ſit, quamobrem Moſes ſacraverit diem Sabbathi. Muhammedes diem Veneris. Chriſtus autem

diem

diem Solis? Ad quæ Thomas: Dixit Moſes, honorem eum deberi diei Sabbathi; quandoquidem illo die Deus ipſe quieverit: cujus conſummatiſſima perfectio apparet quieſcendo, non opus faciendo, quaſi ad perfectionem ſui aliqua re indigeat. Vates autem Arabs edixit: ut homo eodem, quo labores ſuos finit, die lætetur: ideoque feſtum pronunciavit diem ſextum, quo conſummata eſt rerum creatio. Chriſtus vero primum ſacravit diem; decet enim ſacrum eſſe rei principium, haud obſcure innuens, Deum omnium rerum principium eſſe. Nunc naturalem excidii cauſam perſequar, oſtendamque, ipſos ſæpius ſuo ſibi jumento malum accerſiviſſe.

I. Cladem primam accerſivere ſibi Judæi, tempore Jeroboami filii Nebetis, cum venirent petitum a filio Salomonis, ut aſperrimi imperii jugum, quo premebantur, nonnihil allevaret. Ille reſpondit: ſe etiam amplius aggravaturum eſſe. Sic autem minime reſpondiſſe decuit: Decuit divinitus unctum, & legitimum Regem, populum civeſque ſuos comiter affari, & benignè habere; metuentem incertos fortunæ caſus, facileſque imperiorum converſiones. Populus enim revera regnum: Rex nihil præter nomen tenet. Illi igitur aſperrimi viliſſimique

ſimique ingenii homines, reſponſo hoc irritati, familiam Davidis temerè repudiarunt: ut enim novos Deos,ſic quoque novos Reges legerunt. Quanquam officii ipſorum fuerat, circumſpectius multò egiſſe, atque expectaſſe; donec Rex precibus victus petentibus annuiſſet. Unde concitatis atrociſſimis bellis civilibus, paulatim mutuis cladibus multum imminuti ſunt: Diſcordia enim res maximæ dilabuntur. Quid itaque ipſis ſua calliditas ſupra memorata profuit? niſi ut,omiſſo externo hoſte, in mutua viſcera robur vireſque converterent. Tum Jeroboamus in Ægyptum profectus, contra illos Siſacum concitavit: cui ille abditiſſima Judaici imperii arcana aperuit, atque modum, quo urbs capi facilè poſſit, oſtendit. Quique in urbe ſtabant a partibus Jeroboami, illi mittebant Siſaco literas, quibus rationem expugnandæ urbis edocebatur. Quod ubi partibus filii Salomonis innotuit, intra urbem acie congreſſi, alii alios trucidarunt tanta crudelitate, ut nullus hoſtis poſſet crudelius. Potentiſſimo patri tuo aliquando Judæis irato, ipſoſque regno expellere meditanti, ait conſiliarius quiſpiam: Etiam atque etiam vide, Rex, quid agas, omnibus enim Regibus, qui ejuſmodi conſilia agitarunt, exitialia illa fuerunt. Si quam vindictam de illis ſumere expetas,

jube omnes in unam urbem venire; nullo externo admisso, ipsos sibi principes creare: videbis, perpetuis discordiis commissos, mutuis cladibus citra operam tuam interituros.

II. Altera clades fuit tempore Regis Abiæ, cui comiter & perquam benignè ipsos tractanti responderunt: sibi nihil rei ultra esse cum Davidica familia; hinc bella enata, quibus quingenta hominum fortissimorum millia, flos gentis, ceciderunt.

III. Tertia fuit tempore cujusdam Regis Judæ, qui misit Regi Ægyptiorum dono omnia divini templi sacra vasa; ut auxilia laboranti ferret. Quæ res magnæ initium cladis fuit; quia profanata sacra Sanctuarii vasa tradiderant externis. Adest ergo Ægyptius Rex cum exercitu, ingentes clades ipsis infert, tempus adesse dictitans: quo majores olim a Judæis in Mari Rubro mersos ulciscatur.

IV. Tempore, quo bella gerebant duo fratres Reges, unus Judæ, alter Israëlis. Ansam belli captans Rex Israëlis ex eo, quod sacerdotes non fungerentur munere suo; uno die trucidavit viginti sacerdotum millia.

V. Quinta clades sub Rege quodam nomine Menachemo, qui magnam quoque populi partem intestinis bellis absumsit. Itaque cognitis Sancheribus

ipsorum

ipſorum diſcordiis, magno cum exercitu advolans, urbem obſidione cinxit: cui Menachemus, modo ſibi regnum confirmaret, mille argenti talenta ſe daturum, tributumque annuum promiſit. Quam argenti ſummam cum ex ærario ſuo pendere nollet: populo eam imperavit, qui ſummæ illi conficiendæ liberos vendere in ſervitutem eſt coactus.

VI. Sexta tempore, quo Nebuſaradan movit contra illos; quo bello, altero tanto plures, quam Ægyptum quondam erant egreſſi, periiſſe teſtantur Thalmudici Magiſtri. Tum primum ſanctus ille locus incendio deflagravit. Fame conſumtis ducentis hominum millibus, ut ſcriptum extat in antiquis annalibus.

VII. Septima eſt Alexandrina clades, in quam urbem bella Hieroſolymitana fugientes innumeri Judæi, tanquam in portum quendam ſeſe receperant: ubi rebus proſpere ſe dantibus, ædem ſacram ædificarunt; alii in alios imperium affectantes. Hinc pars altera, miſſis legatis ad Trajanum imperatorem ſuppetias rogavit; quo veniente, cum bellum intra & extra urbis mœnia haberent, quingenta hominum millia ferro perierunt.

VIII. Octava fuit ob fratres duos Reges, Hircanum & Ariſtobulum vocatos: minor cum majori

regnum concedere nollet, misit Aristobulus donum Pompejo, duci Romano; ut sibi auxilia ferret: donum illud autem fuit vitis aurea quingenta auri talenta pendens, cum pretiosissimis gemmis atque margaritis. Pretio inductus, cum numerosissimis copiis, quas adduxerat, Pompejus urbem foris oppugnaret, quam mutuis cædibus intus fratres exhauriebant; ingens civium numerus, intestinis cladibus cecidit; regnúmque Hircano relictum: Aristobulus vinctus compedibus, Romam perductus est.

IX. Nona clades tempore belli Herodiani, quod ortum ex civili quoque discordia fuit.

X. Decimam cladem, qua templum secundum fuit eversum, Titus iis dedit: qui utinam nunquam bellum Judæis fecisset! hodieque, o res Judæa, stares. Fame tum quoque periisse quadringenta hominum millia autor est Josephus. Idem narrat incredibilem Judæorum pertinaciam, quæ hac una re arguitur. Titum enim hoc unum flagitantem, ut Judæi Romanorum insignia in porta Hierosolymitana ter in anno erigerent, quo urbs Romani imperii esse videretur, nimis quam superbe repulerunt. Sed quid mirum pertinacissimam gentem, externo atque alieno principi morem non gessisse; quem non gesserit do-

mestico & suo. Fuit præterea, o Rex, Menasses quispiam; qui duxit uxorem Moabiticam contra Esræ edictum: quo omnes mulieres Moabiticas, ex legis suæ mandatu, Judæorum finibus ejici jussit. Menasses vero cum uxorem dimittere nollet, congregati omnes sacerdotes, eum a cultu divino prohibuerunt. Tum Menasses, auxilio generi sui Sanbeleti, omnibus convocatis sacerdotum principibus, dixit: Si potestatem sacrorum faciendorum ipsi dederint, bene esse: Sin minus, se id facturum; quo omnes doleant facto, quodque nullo unquam consilio restitui in integrum possit. Sacerdotibus verba ejus eludentibus, abiit & multos ingentibus muneribus corruptos, facile ad sese pellexit: (maximis enim divitiis pollebat,) & cum templum in monte Gerisim struere pararet, ipse cum Rege Sanbeleto, genero suo, ad Regem Alexandrum profectus est, magnam pecuniæ vim ferens: quo muneribus oblatis exstruendi templi sibi potestatem faceret. Qua impetratâ, omnes vicinæ urbes maximopere lætabantur; quia & molestissimis Hierosolyma itineribus, & magnis sumtibus, quos sacris illico rite celebrandis impendere tenebantur, liberatos se esse viderent. Menasses vero, qua erat insigni calliditate, misso per finitima loca præcone, pronunciari jussit: Ne quis, qui su-

um templum frequentaret, ſuarum rerum quinquageſimas & decimas; ſed tantum qualecunque, voluntarium munuſculum daret. Deo enim haud grata eſſe coacta & extorta; ſed a libero animo ſponte profecta. Tum nec datam eſſe Judæis legem, qua res humanæ vitæ ſuſtentandæ neceſſarias, ad divini cultus uſus tranſferre juberentur. Quâ re conciliatis pauperum animis,t emploque conſtructo, finitimi omnes tractus, Hieroſolymitanum templum Deo lectiſſimum, quod in monte ejus, qui Moria eſt, deſeruerunt. Hinc bellis conflatis, inter Judæos Hieroſolyma ad ſacra celebranda commeantes, atque inter Judæos novum templum adeuntes, ceciderunt utrinque plurimi. Itidem veteres illi, & legitimi ſacerdotes congreſſi fuere cum novis iſtis, quos Menaſſes inſtituerat. Denique quotieſcunque Hieroſolyma ad ſolennia ſacra obeunda commearetur, pugnatum ſemper cruentiſſimis præliis fuit; idque adeo ducentos prope annos,quos templum illud ſtetiſſe dicitur: donec regnare cœpit Hircanus, pietate & ſingulari divinæ legis ſtudio inſignis, qui Hieroſolymis profectus,templum illud novum diruit,& funditus evertit: alios capitis,ſupplicio alios aliter ultus,Judæos Hieroſolyma ad priſtina ſacra revocavit. Verum iſtis bellis, tertia

Judæ-

Judæorum pars facile consumta fuit. Nunc tibi, o Rex, illorum perfidiæ exemplum accipe: Fuerunt inter Judæos duo fratres, filii justi cujusdam, majorque cum sacrorum rationem minus intelligeret' pater minorem rituum sacrorum magis intelligentem, Pontificem maximum creari voluit: Sed ille pontificatum recusans, eum fratri natu majori ultro detulit. Ille vero aliquanto post, cum facti poeniteret, fraude excogitatâ, qua eum in culpam impulsum Pontificatu moveret, hujuscemodi verbis aggressus est. Age vero, docebo te sacros ritus, illumque indutum veste sacerdotibus inusitatâ, cinxit cingulo profano, veste inquam, & cingulo, quibus mulieres uti solent. Quo ad aram deducto, ipse ad sacerdotes, qui in templo erant, descendit. En! inquit, frater meus habet amicam, quam amat; cujus ista vestis & cingulum sunt; illi enim juravit, quo primum die Pontificatum iniret, se ejus vestes in signum amoris, quo eam prosequatur, induturum esse.

Tum omnes consurrexerunt sacerdotes, eum occisuri. Ille obtestatus eos, audirent primum verba ejus: Enarrato illis fratris sui dolo, verum dixisse compertus est. Quare minorem nefarii doli manifestum, dum ad supplicium deposcunt, ille in aulam

lam Regis evasit. Unde cum ipsum abstrahere pararent, Alexandriam in Ægyptum profugit. Ubi à se structo templo, Pontifex maximus constitutus est. Quod templum ducentos quoque annos circiter stetit. Tum Rex: Equidem miror, te singulas Judæorum res felici memoria complexum, adeo fideliter enumerare posse. Thomas inquit: At fortassis tibi, ob hæc ipsa, Judæus esse videar: verum ita sese res habet, quando ad Christianos conciones habeo censorias, quo moveam magis, argumenta peto ex Judæorum malitia, quæ excidii ipsis causa fuit. Præterea tibi, o Rex, duas ruinæ Judaicæ causas exponam.

I. Primum Judæi quamdiu propitium Deum habuerunt; ipse bella eorum pro iis confecit: ut passim sacræ literæ testantur. Proinde artes militares, quibus non indigerent, nullas didicerunt; hinc de illis dictum Jud. cap. v. vers 8. Clypeus & hasta non apparuerunt in quadraginta millibus Israël. Verum ob scelera, averso & infesto iis Deo, misere gemino, & divinæ benevolentiæ, & artis militaris præsidio destituti, veluti pecora hosti ludibrio & prædæ fuerunt. Deinde defuerunt Judæis machinæ, quibus dejiciuntur muri, quas Romani Græcique expugnandis urbibus adhibuerunt. Quemadmodum

dum & ferrei arietes formidandi, atque Elephanti turribus instructi, quæ, cum Judæis non modo invisa, verum etiam inaudita omnia essent; nesciverunt sibi ab ipsorum damno cavere. Rei novitate stupentes, alii alios sic affati sunt: En formidabiles belluas, ne fando quidem nobis unquam auditas; omnino feras sylvestres esse existimantes. Rex ait: Nec id mirum videri debet; cum homo rei nunquam ante in vita visæ, prima fronte, nec imaginem, nec naturam satis capere possit. Legimus scriptum: olim homines, de monte quodam, in subjectos agros irruisse, equis insidentes, ut raptarent & prædarentur opes eorum, qui agros istos habitabant: illi, cum nunquam vidissent hominem equo inequitantem, opinati sunt, novum quoddam monstrum esse; quod summâ & mediâ sui parte hominem, imâ vero belluam aliquam referret: ex quibus unum monstrum confinxêre, quod centaurum appellarunt. Quam stultissimam opinionem monstrorum ille domitor Hercules iis primus exemit, qui ridens hominum stultitiam, tum primum visos centauros bello persecutus; homines esse ostendit, equis insidentes. Ipse ego memini, nos aliquando currum in bello habuisse, cui magnâ corporis mole aries insidebat, quem cum

obsessæ urbis portis admovissemus, oppidanis novæ, ut putabant, belluæ conspectu territis, & fugâ dilapsis, portas invasimus, & urbem cepimus. Sed quod tu dicas, Judæos ignorasse, quid rei novæ fuerit, falleris: haud ita est. Narrat enim gravissimus autor Josephus, cum Titus Imperator militi imperasset, ut muro arietes admoveret: egressum esse juvenem quendam, qui cuniculis sub machinarum rotis actis, cum sulphure & pice eos implesset, illis igne succensis, ferreos arietes disjecerit: omnibus, qui machinarum custodiæ præerant, eadem ruinâ oppressis. Postea admotis tribus arietibus, qui cladi isti superfuerant, ait Titus: quatuor juvenes Hierosolymis egressos, Tophtium Galilæum, Magnum Hebronitam, Gormanum Samaritanum atque Arium Hierosolymitanum, invasisse suos; custodibus omnibus trucidatis, ingentem late stragem inter Romanos dedisse. Viros fuisse in feminas dixisses, adeo ut exercitu pulso, facibus subjectis, arietes istos exusserint. Num tibi jam ignorasse arietes Judæi, aut nova belluarum monstra fuisse opinati videntur? Bello quoque, quod cum Antiocho Rege gessêre, puer quispiam ferro Elephanti ventrem suffodere ausus; quia Matthatias Imperator dixerat, occiso elephanto, turrim

rim superstantem collapsuram. Ex quo efficitur, illos Elephantorum turres veras turres, non nova quædam monstra existimasse. Ergo non armorum penuria, nec novarum machinarum insolitus terror; sed ira Dei, ipsorum sceleribus merito infesti, una iis, & verissima excidii causa fuit. Restat, ut causam, quamobrem eos æde sibi sacratâ, & sedibus suis ejecerit Deus, nunc ex te cognoscam.

Tum Thomas: causam igitur accipe, o Rex: Cum Deum externum in sacram Dei sui ædem induxissent; hoc pretium ob stultitiam tulerunt; ut in externi illius Dei terram exulatum, eique, quem in Dei sui ædem temere admisissent, servitum irent: Idque ex verbis Jeremiæ constat, quibus prorsus gemina lex divina dixit: Deut. cap. xxviii. vers 36. Coletisque ibi Deos alienos, ligna & lapides. Tum Babylona, ubi septuaginta exularunt annos, commigravêre. Videor mihi videre subtilem quandam causam, quæ septuaginta annos ipsos in exilio detinuerit; estque hæc: Quia planetarum cursus illo annorum numero absolvitur; quem cursum ipsi postea retro flectunt. Annos Saturnus undecim: Jupiter duodecim: Mars septem: Sol decem: Venus novem: Mercurius duodecim: Luna novem, cursui suo absolvendo sibi vindicat. Proinde totidem, quot cunctorum planetarum cur-

ſus annos habet, exegerunt in exilio; quia omnes planetas coluiſſent. Rex ait: Quod ſi ita eſt, cur jam, cum Deos externos, vel ſimulacra nulla colant, per tot ſecula pœnas dant? Thomas inquit: Sunt vero, o Rex, multo graviores culpæ, quas homo in hominem, quam quas in Deum admittit: nam unde illæ abſunt, rerum ſalus, totiuſque humani generis communis tranquillitas adeſt. Chriſtiani ecce legum ſuarum reverentiâ, rapinâ, fraude, uſurâ, & id genus aliis, religioſiſſime abſtinent. Minus religioſe iis vacantes, quibus ſummi Numinis cultus continetur; imo ſunt, qui toto anno, non niſi ſemel orant; ſtant tamen & vigent omnes. Contrarium videre eſt in Judæis; quis enim Judæorum vel ſemel preces intermittat? Verum a furto, fraude, rapina, minus abſtinere ſolent. Proinde graviter eos ultus Deus, qui peſſime rapinas odit, exilium iis in plura ſecula prorogavit. Et cum Meſſiam nullum habeant; invocant tamen eum identidem ſtultiſſimi illi mortales, Sabatho exeunte. Ad quæ Rex: Cur invocant eum ſuper vino? Thomas inquit: Ejus nullam certam cauſam habeo dicere, niſi forte ſperent, ipſum audito vini nomine, quam ociſſimè advolaturum. Everſi templi cauſam nunc audi, o Rex: Accidit ei, quod Servatori noſtro accidit: qui veniens primi hominis

crimini

crimini expiando, mortem ipse oppetiit. Sic templum, culpis gentis Judaïcæ piandis, pro ipsis igni consumtum periit. Rex ait: rem sane absurdam re multo absurdiori declarasti. Quis enim unquam vidit Regem, qui servorum suorum delicta, filium suum morte luere voluerit? aut expiandis illorum peccatis, domum suam exusserit? Thomas respondit: Plane Servatoris nostri dispar ratio est; nam si mortnus est; corpore solo mortuus est: Ipse enim e vestigio ad cœlestem patrem suum abiit, & vivere apud eum non desiit, immutabilis æternum; visusque trucidari & mori tantum hominibus est. Rex inquit: At jam multa & bene satis de rebus Judaïcis, uti & de ipsorum templo. Ego autem aliam etiam rationem esse arbitror, quamobrem eversum templum fuerit. Scilicet, quod tum etiam Deus, cum acerrime eorum improbitatem ulcisceretur, severitatem & iram clementiâ & amore temperaverit. Et quanquam ea illi mens fuerit, ut eos in exilium ejiceret; quemadmodum, ut tute dixisti modo, gravissimorum criminum ratio id postulabat, noluit tamen, sacram ædem relinqui paganis. Præsertim, cum sacra illa ad populum nullum, præter eum, qui ex Ægypto egressus esset, pertinerent. Tibi vero veracissimo Deo, qui solus verum perspicis, laus &

gloria: nos enim de rebus, non pro earum natura; ſed pro ingenii noſtri captu loquimur: nec ſcimus; ſed hariolamur. Gaudeo tamen, haud obſcuris indiciis me cognoviſſe, Judæos non teneri omnibus iſtis criminibus; quorum vulgo inſimulari ſolent. Sed qui hominis inſontis exitio imminet, ſibi ipſi exitium parat, quemadmodum Deus inquit.

VIII. Anno quarto magni Hiſpaniarum Regis Alphonſi, fuerunt in urbe Oſſuna tres ſcelerati homines, qui cadavere, in ædes cujuſdam Judæi projecto, judices fictis lamentis & gemitu adierunt, dicentes: ſe in ædibus Judæi Chriſtianum deprehendiſſe trucidatum. Tum judici cum lictoribus, in ædes Judæi ingredienti, Judæus ait: Deum hominesque teſtor, o judex, me non occidiſſe hominem; ſed inimici mihi perniciem machinati, cadaver in domum meam injecêre. Judex comprehenſum Judæum, pridie diei paſchalis in carcerem duci juſſit. Cum rumor is per urbem differretur, concitati Chriſtiani primâ paſchalis feſti nocte omnes obvios Judæos trucidarunt; multis tamen, qui in magnatum quorundam ædes confugerant, a populi rabie ſervatis. Ubi cum panis azymi copia nulla eſſet & fermentato veſci legibus prohiberentur; totum paſcha inediâ traduxerunt. Rumore hoc in urbem Palmam

perlato,

perlato, illi quoque Offunenfium exemplum fecuti, pariter in Judæos fævierunt. Unde dimiffis ad maximarum urbium conciliabula nunciis, monuerunt: Extemplo ad Regem mittendos legatos effe. E vestigio igitur tres ex honoratiffimis Judæorum, Abrahamus filius Benveniftæ, Jofephus Synedrii moderator, atque M. Samuel filius Sufanis, ad Regem profecti. Quo audito, conjurati eos perfecuti funt: fed illi vitio fuæ gentis trepidi, totum diem in fylvæ latebris delituerunt. Perfecutores illos prætergreffi, rectâ ad regiam perrexerunt, accufaturi Judæos. Quibus auditis, Rex ait: jamdudum comperi vos malis artibus, fceleftifque confiliis hoc unum agere, ut miferum miferandumque populum evertatis. Illud etiam certo comperi: vos dolis atque fallaciis inftructos, multa falfa crimina innoxiæ atque immerenti genti audacter imponere folere. Quod etiamnum facitis; ego Rex, cujus munus atque officium eft, jus meis civibus dicere; injuftiffimas veftras rationes non feram: periiftis mediusfidius, nifi graviffimam improbitatis iftius culpam, uno ftultitiæ colore excufetis. Nunc abite, cras redite; tum vos turpiffimi falfiffimique criminis palam convincam. Sic illi cum ignominia rejecti, abierunt. Poftridie mane legati Judæorum advenerunt, quorum Rex nomina expifcatus, literis con-

consignari ea jussit. Illi autem constituerant inter se, ut legationis causam unus omnium nomine Regi exponeret, honoratissimus scilicet Josephus, Synedrii moderator; qui omnibus instructus disciplinis, linguarum quoque peritiâ facile princeps erat. Ille vero ea eloquentiâ orationem habuit, ut omnes purpurati, adeoque Rex ipse, hominis prudentiam atque dicendi vim summopere admirarentur. Cui Rex: Multum me affecit oratio tua, nihil enim efficacius animos movet, quam veritas. Neque dubito, quin bonam veramque causam agatis. At quæro ex vobis: Si apud aliquem ex vestratibus, alioqui virum spectatæ virtutis atque veracitatis, res furto ablata deprehendatur; certone dici potest, illum furtum nullum commisisse? Responderunt ei: Si de re furto ablata, & apud illum palam deprehensa, per oculatos & idoneos testes constet; quis furtum fecisse inficiari possit? Rex ait: Videte, quid dicatis: adest Judæus ille, intra cujus domesticos parietes cadaver trucidati hominis Christiani repertum est: quâ ratione judicio absolvam hominem? num eâ, quod vir probus, ac minime homicida habeatur? Tum legati: dispar ratio est, o Rex, ejus, qui per oculatos testes furti convictus est: & illius, apud quem res furto ablata deprehenditur. Fieri enim potest, ut clam ipso eam

eam in domum ejus alii injecerint. Rex ait: Ita certe res est, ut dicitis. Atque adeo certus sum, vos quidem homicidii istius crimine; sed non pariter aliarum rerum crimine insontes esse: quibus hercle criminibus, atque acri odio vestri, plebs concitata identidem in vos sævit. Quo audito, Regem obsecrantes, uti ea crimina ne indicare gravaretur, dixerunt: se, quo animo fideles servi herilia mandata, dicto audientes filii paterna jussa excipere solent; Regis sui verba excepturos esse. Respondit Rex:

I. Meministis equidem, opinor, vos inopes atque omnium rerum egenos, huc primum advenisse; ubi benigne recipientibus vos Christianis, malam gratiam retulistis, & acerbissimis usuris possessiones, jumenta, atque pecora iis extorsistis.

II. Si servos esse vos fatemini, incertis exilii sedibus vagantes, cur principum cultu incediris? nisi, quia invidiam omnium, atque odium provocare studetis: præsertim cum serio quoque per universum hoc regnum edixerim, ne quis vestrum bombycina veste uteretur. Nemo vestrum audit me, nec mirum certe, non parere vos mihi, qui non paruistis ipsi Deo.

En! quam longe ab æquo & bono abiistis; animus mihi quodammodo præsagit, vos misere &

magno veſtro malo regni mei finibus exterminatum iri. Sed ſi hinc migrabitis, non hercle, ut ex Ægypto, gaudentes & lætantes; ſed miſero cum ululatu migrabitis. Satis mirari equidem nequeo ingenium veſtrum, & miram iſtam agendi rationem. Juventutem enim in divitiis, ſenectutem in paupertate agitis. Prima vitæ ſpatia ingreſſi, habetis fortunam altam, & ſupra caput ſublimem: quæ, paulatim ingraveſcente ætate, infra pedes depreſſa recumbit. Contra res in Chriſtianis eſt, fortuna eorum, cum ineunte ætate, velut à pedibus ſurgens, ad ſummum capitis verticem tollitur. Chriſtianus in infantia, pueritia, & adoleſcentia, vili veſtitu: in ſenectute pretioſo uſus, moritur dives.

III. Quid ſibi volunt frequentes iſti conventus, cum congreſſi in foro die circumciſionis, aliiſque diebus, per ora populi, regio plane cultu ſuperbi inceditis? quæ plebs videns & indignans, acerrimis invidiæ ſtimulis agitatur. Vos vero, inter gentem veſtram facile principes, dum honori & famæ veſtræ ſervitis; & vos, & miſeram plebem perditum itis.

IV. Quando ex poculo, unde Chriſtianus bibit, bibendum; eluitis illud, ut impuro ipſius contactu pollutum. Chriſtiani autem ſtomachantes,

tes, inquiunt: Male ſit Regi noſtro, qui in noſtras terras ejuſmodi gentem recepit, quæ nos deridiculo habeat, & impuros vocitet.

V. Cur canere docetis veſtros filios? cum vobis magis conveniat ploratus & luctus perpetuus: pronunciavit enim Deus optimus maximus, vos impios eſſe. Proinde toto terrarum orbe vos disjecit, quod nulli alii unquam genti evenit.

VI. Cur filios veſtros armorum tractandorum ſcientia imbuitis? non enim in militiam itis: Quorſum autem, niſi ut Chriſtianos probe occidere diſcant? Certe, ſi exilium veſtrum, vagas ſemper & incertas ſedes, denique vitæ veſtræ diſcrimina apud animum veſtrum perpenderetis; nunquam ejuſmodi ſupervacuis exercitiis rem pretioſiſſimam tempus perderetis. Sed hoc ſtuporem & vecordiam veſtram arguit. Quod vero hic ſubditorum meorum mos ſit, ut rei militaris præceptis imbuantur, ex eo eſt; quod legibus obſtricti teneantur, efflagitante id regni ratione. Illud enim, effuſiſſimâ ſummi Numinis benignitate ad ampliſſimam potentiam evectum, armorum præſidio ſtare debet.

Et ſi à ſubditis meis malum diſcitis, cur non etiam bonum, pacis ſtudium inquam, modeſtiam, atque cæteras illorum virtutes? Quod adeo non facitis,

citis, ut etiam vitia illorum discatis; & eos contra vitia vestra doceatis. Nolite existimare, hæc loqui eum, qui vos oderit. Si enim Deus, qui multo ante vestros perspectos haberet mores, amavit vos tamen: Quid? num ego vos odero? qui quidem eo hæc omnia dixi, quo vos ab inimicorum vestrorum rabie defenderem. Respondere legati in hunc modum: Tu quidem, mitissime Regum, ut benignus quispiam pater, verbis nos castigasti; quod egregiam istam animi tui clementiam luculenter arguit: sed habemus tamen, quo crimina nostra nonnihil excusare posse videamur; si justam, o Rex, dicendæ causæ copiam feceris. Quibus Rex: Equidem credo colorem vobis, quem dicatis, non defuturum; sed non disputandi ansam quæro. Satis vobis a me datum esse credite, quod vobiscum familiarius colloqui sim dignatus. Legati ajunt: Omnium morborum, quos enumerasti, o Rex, longe gravissimum præteriisti, quo vel maxime laboramus, penuriam scilicet fidi patroni nostrarum rerum, atque benigni dictorum factorumque nostrorum interperetis; qui sine invidia, sine odio, fideliter causam nostram agat, quod tamen nemo facit, quamvis causæ nostræ bonitatem liquido perspiciat. Illud quoque, o Rex, quod jam dicis & iratus tristibus verbis

in

in nos inveheris: nonne etiam id ex eo, quod nos Sycophantæ isti falsis criminibus circumventos gravissime apud Regem calumniati sunt? Quod attinet ad fœnoris negotium, quondam quidem ita fuit, ut dixisti; sed postquam publico edicto, & lege illud abrogasti; nos penitus illud omisimus; excepto, quod abhinc tribus mensibus, invitos nos cogere cœpêre Christiani, ut sibi fœnori daremus: neque enim arandi, aut serendi copia ulla erat, nisi prius fœnori sumsissent. Nos vero edicti regii non immemores, in regiam rogatum super hac re sententiam Regis venimus; sed cum compellandi Regis, tum forte copia nulla daretur, ecce prorex adventus nostri caussam percunctatus, nihil quidquam, si fœnori daremus, nos peccaturos esse dixit. Si enim Rex fœnus interdixerit, publico Christianorum bono interdixisse. Qui si ipsi illud susque deque habeant, & ultro fœnori sumere malint; nos extra omnem violatæ legis culpam esse. Sed ita demum, si leve & certum fœnus exerceamus, quod & fecimus. Cæterum, quantum ad furtum apud aliquem deprehensum, quod ad certius indagandam homicidii culpam, veluti exemplum aliquod modo memorasti, o Rex, quid aliud, nisi hoc unum respondeamus? Nos Judæos sicut mures esse,

quorum unus si caseum furtim depastus sit, in omnes mures culpa confertur: ita omnium Judæorum fit culpa, unius scelus. Quis vero nesciat, illud ita natura comparatum esse, uti in omnium hominum genere bonis misceantur mali? Cur autem, quod mali peccant, luant boni? Nonne etiam, qui furentur, aut rapiant, inter Christianos sunt? Quamvis optimas præstantissimasque virtutes vulgo colant; quotidie tamen ex iis quosdam, furti aut rapinæ damnatos, in crucem agi videmus. Neque tamen ideo omnes Chistianos furti aut rapinæ teneri merito dixeris: Sic nec Judæos omnes, illius homicidii. Sed imperii splendor multis vitiis mire obtentui est, quemadmodum formosa facies vitiis in muliere. Verum, contraria prorsus exilii ratio est, quod detegit, & ostendit etiam minimos nævos, vel exili sinapis grano minores, in ingenti corpore, vel ipso Sole majori. Nunc ad bombycinarum vestium usum accedamus: Ex quo ille nobis mandatu Regis interdictus fuit, nemo nostrum extitit, qui contra facere sit ausus. Et nos legati populi tui, facile nostræ gentis ditissimi, quos splendido cultu in regiam venire decebat; venimus en! laceris, pannosis, vilissimisque vestibus. Quibus Rex: At mulieres vestræ vestes bombycinas, & acu pictas, au-

aureaque monilia gestant. Itane vero leges meas observatis? Responderunt legati: At edicti verba, nisi vehementer fallimur, ita habent: Ne quis Judæus bombycinas vestes induito. En Judæum, non Judæam nominari vides. Hinc credidimus, ex more aliorum regnorum, mulieribus istum honorem haberi, ut ejusmodi legum immunes sint. Rex inquit: Quid audio? vos mihi videmini, ut carbonarii asinus; mulieres vero vestræ, ut Pontificis mulus ornari: quod nec justum, nec decorum est. Tum legati: Frequentes quoque ob circumcisionem conventus displicent: Quid autem, o Rex? ipsa lex nostra hæc pietatis officia imperat, ut afflictissima nostra gens, solenni hac conventuum frequentatione, certius perstare possit. Musicæ quoque & ejusmodi rerum studium damnas: Quis mortalium vero sibi temperare possit, ut non aliorum exemplo ad simile studium impellatur? præsertim juvenes atque adolescentes, quibus nondum ea est facultas, ut suis affectibus moderari possint: nec ea prudentia, ut iis, quæ minime decent, abstinere sciant. Respondit Rex: Vos mihi causam vestram satis approbastis, quare bono animo esse vos jubeo: & nunc domum digressos, cras ad me redire: Plures ejusmodi casus expertis, in mediis malis, Deus ex machina adfuit.

Postri

Postridie, ut jussi erant, se legati Regi stiterunt, qui infit: Digna ista homicidii causa est, ad quam cognoscendam mittatur quæsitor. Tum accusatores Christiani: En tibi, ò Rex, ipsas Judicum tabulas, ex quibus constare possit, quid illi de cæde ista cognoverint. Prorex inquit: Quærendum per tormenta censeo, si forte facti confessio Judæo extorqueri possit. Legati ajunt: Si tormentis res extorquenda erit, certum est: Judæum, quantumvis insontem, Christianum occidisse, & sanguinem ejus hausisse dicturum. Judæi enim naturâ molles & fracti, exquisito tormentorum cruciatu victi, facile quidvis se fecisse fatentur. Rex inquit: bono animo estote, ego enim per augustissimum Servatoris nostri sacrum juravi, me nunquam ab ullo Judæo, per tormenta facti qualemcunque confessionem, aut indicia expressurum esse. Expertus enim, heu! nimium expertus, extortæ confessioni parum tuto credi posse. Cum enim primum regnare coepi, duæ aureæ pateræ ex aula mihi surreptæ sunt, cum duo honesti Judæi Judas Onkoa, & Samuel Onkoa frequentes in aula mea versarentur; aulici omnes uno ore dicebant, eas a Judæis istis more suo ablatas: quos ego, tormentis adhibitis, furtum continuo confessos suspendi jussi. Verum triduo post, pateræ istæ apud satellitum

ſatellitum meorum quendam deprehenſæ ſunt. Unde apparet Judæos, quamvis nullius criminis conſcios, brevi crucis, quam lento verberum & tormentorum ſupplicio, mori maluiſſe. Ex regiis conſiliariis quidam ait: Olim per tormenta nulla confeſſio facti exprimi ſolebat, quod veterum annalium teſtimonio comprobavit. Tum Rex graviter indignatus: ſe iſta non monitum, in furti illa quæſtione fuiſſe: potuiſſe enim iſtâ ratione inſontes criminis Judæos abſolvi, & ſupplicio, quo jam indigne periiſſent, mature eripi; dixiſſe Rex, inquam, fertur. Hujus certe cædis autorem nemo proferre valet, niſi qui omnium fortium fortiſſimus habetur. Purpuratos, quis ille eſſet, interrogantes, Rex ipſos ſibi dicere juſſit. Cui illi in hunc modum reſpondent: Hoc olim quæſitum fuit.

Alii dicunt, mulieres eſſe: quippe quæ primum noſtrum omnium parentem, unum rerum dominum Adamum, atque Salomonem inuſitatâ & divinâ prorſus ſapientiâ Regem, blanditiis ſuis victos in crimen culpamque præcipites impellere potuerint. Plato hinc interroganti cuidam Philoſopho; Plures ne viri an mulieres eſſent? reſpondit: Cum viri omnes mulieribus pareant, univerſum humanum genus mulieres eſſe. Alii vinum eſſe affirmant;

ut quod Noachum virum singulari pietate insignem, humani generis vindicem, in vitium rapuerit. Alii Regem esse ajunt: si enim montes subverti jubeat, subvertendos esse. Alii humani animi affectus esse contendunt.

Rex inquit: Fortes quidem isti omnes sunt, verum fortius aurum est. Sævissima Regum est invidia, asperrimum eorum odium, immensa ambitio, & profunda victoriæ atque triumphi cupido: Sed hæc omnia validissima aurum validius vincit; cujus pretio expugnati Reges bellum, materiem & segetem suæ gloriæ, redimi patiuntur. Sic quoque abstrusissima quæque aurum aperit. Proinde per universos regni mei fines indici, qui de cæde hac indicium fecerit, præmium proponuntor quingenti aurei, atque familiæ ejus regiorum vectigalium perpetua immunitas, mox rem totam patefactam videbitis. Extemplo re per tubicines promulgatâ, triduo post accessit adolescentulus quispiam, octodecim annos quasi natus, qui inquit: Testor Deum, quem jure vereor, o Rex, me veri amore; quod certo scio, de cæde hac sedulo indicaturum. Cui Rex: Non negem, te Dei reverentiâ & veri studio fortassis impulsum huc venisse; sed certe magis luculento præmio inductum. Quare indica, si quid habes:

habes: indicanti magnum præmium paratum eſt. Tum puer: Ego ſum famulus viri cujuſdam, cui nomen eſt Johanni de la Vera, huic diu multa lis fuit cum Judæo iſto; apud quem cadaver Chriſtiani illius deprehenſum eſt, de poſſeſſione quadam per fœnus ſibi a Judæo extorta, idque jam ante annos aliquot. Nocte quadam herus meus his verbis me aggreſſus, ait: Quin abi, & impurum iſtum Judæum interfice, cædis pretium habebis veſtes bombycinas, atque etiam viginti aureos. Ego adoleſcentiæ meæ imperitiam cauſatus, ipſum, ut virum, qui me multo fortior eſſet, ad patrandam cædem abire juſſi. Non ita multo poſt, herus meus ſex vicinos ſuos ad ſe vocari juſſit: Qui cum jam adeſſent, ego ab hero ſecedere juſſus, & hinc aliquid monſtri alere ſuſpicatus, aure foribus admota, audivi herum meum dicentem: Judæos, poſtquam Servatorem indigniſſimâ morte peremerunt, impune interficere licere. Reges tantum eos emolumenti ſui cauſâ ob opima vectigalia, quæ pendunt, patrocinio ſuo defendere. En ſepultum eſt hodie in propinquo nobis cœmiterio cadaver hominis Chriſtiani peregrini atq; ignoti, illud e ſepulcro clam eductum, injiciamus in ædes Judæi iſtius vicini noſtri.

Cujus indigniſſimæ rei rumore, multitudo con-

citata in ædes Judæi, ut homicidæ, ad eas diripiendum irruet: in quo tumultu & ſtrepitu, nos facile bonam prædæ partem nobis rapiamus. Vicini contra: At ſi forte vacuum deprehendatur ſepulcrum, dolus patebit.

Quibus herus meus: grande propter ſepulcrum ſaxum jacet, quo pro cadavere immiſſo, ſepulcrum implebimus. Cui conſilio, cum omnes aſſenſiſſent, diſceſſêre: iſti, quid porro conſilii cœperint, aut egerint, mihi, qui tum cubitum diſceſſerim, parum compertum eſt. Rex, vocato ad ſe Johanni de la Vera, ea, quæ adoleſcentulus ille teſtatus erat, expoſuit. Ad quæ ille: Pueri mihi ob negatam mercedem infeſti teſtimonium, ó Rex, minime idoneum eſt. Cui Rex: Abhinc non opus pueri teſtimonio eſt; eant, qui explorent, utrum ſaxum, an cadaver ſepûlcro contineatur. Inventum ſaxum te arguat. Ut ad ſepulcrum ventum eſt, rem ita ſe habere, ut puer indicaverat, cognoverunt. Johannes inquit: Judæus ipſe fortaſſis ſepulcro cadaver extraxerit, & ſaxum ſubjecerit. Rex ait: Hem ſtultitiam! nonne dicitis, ad ſanguinem excipiendum ſurreptum a Judæis cadaver eſſe? Quid? num cadaveri jam gelido ſanguis educi poteſt? Hæc dum geruntur, duo forte viri interveniunt, teſtantes,

ſtantes, vidiſſe ſe Johannem illum, per noctem cadaver aliquod trahentem; ſed quo detulerit, neſcire ſe. Rex ait purpuratis, ecquid verus ſum, Nihil auro potentius eſſe? Tibi vero, Magne, Deus, veri præſes præſteſque, gratias merito agimus, atque habemus, pro patefactis & extinctis ope tua ſceleratiſſimis inſidiis. Mox juſſit Rex, Johannem de la Vera collo tenus terra obrutum, vivum deſtitui: donec lentâ morte periret, & vicinos illos, qui illi dolum adjutaſſent, ſuſpendi ex patibulo imperavit: quo triſte quidem, ſed in poſterum ſalubre exemplum ederetur.

IX. Excidium nonum accidit eo tempore, quo Gothorum gens Occidentis terris, aliiſque regnis, imprimis vero Romæ, urbium maximæ dominaretur. Tum temporis, anno nempe a nato Chriſto IↃCCC, Romanorum fortiſſimus Rex erat Siſbocus; qui omnibus Judæis, quotquot in Hiſpania erant, imperavit: ut pro legis Moſaïcæ circumciſione, baptiſmum Chriſti reciperent; quod ſi facerent, pari Chriſtianis jure leges ſuas obſervantibus regnaturos. Judæi, cognito Regis mandato, undique ex oppidis in urbem maximam confluunt, ubi ſe inediâ affligtantes, ululatu & plangoribus omnia implent. Audientes ululatum Chriſtiani, quid rei

 ſit,

ſit, rogatum veniunt. Qui cognitâ re, recipite, inquiunt, quicquid Rex vobis imperat: eſt enim Rex fortis, conſtans, ſuâ mente immotus; nec hilum ullâ induſtriâ, aut pretio illum a ſententia dimovebitis:& ſi in una hac re non obtemperaveritis, coget vos ad deſerendam univerſam legem veſtram, & reipſa experiemini, nihil quicquam jejunia veſtra vobis profuiſſe. Quamobrem ſinite nunc, æquum ferat, ne irritatus poſtea iniquum poſtulet. Reſponderunt Judæi: Præceptum circumciſionis totius noſtræ legis cardo eſt. Vos quidem dicitis: unum quid poſtulare, verum nos non unum; ſed univerſa eum poſtulare ſcimus. Omneſque nos mori ſatius eſt, quam vel leviſſimum aliquod præceptum omittere: nedum totius religionis noſtræ cardinem convellere. E veſtigio omnes collecti Regem adeunt,& quamprimum ſe interfici cunctos jubeat, obteſtantur. Non enim ſe ullum legis ſuæ præceptum omiſſuros, multo minus illud, in quo uno totius religionis cardo vertitur. Quibus Rex ait: O miſeros atque ſtolide ſuperbos mortales! qui non ſine Numine in precibus veſtris acriter flagitatis ita gementes. Protinus extirpetur ſuperbiæ Regnum. Quibus hercle procibus vobis metipſis exitium certatum acceleratis. Quippe cum

cum non aliud, quam unicum superbiæ regnum soli teneatis & fortiter tueamini.

Quid tam stulta & absurda consilia in vos ipsos coiistis? Ego vero juro vobis, nisi baptismum Christi receperitis, brevi facturum me, ut universa legis vestræ præcepta violare cogamini: neque omnes homines, si consilia sua conferant, vobis auxiliari poterunt. Tum præcepit; nisi intra mensis spatium, Christi baptismum recepissent, ad legem totam violandam primum cogendos, dein ferro interimendos esse. Judæi argentum aurumque primatibus ferentes, petierunt: Regem exorarent, ut se exutos omnibus facultatibus, quas belli sumtibus ille impenderet, sacris & legi suæ relinqueret. Respondit Rex: Num ita aliis Regibus pius videar, qui dictitent: me non id egisse, ut Servatoris nostri baptismum promoverem; sed tantum, ut Judæos omnibus facultatibus emungerem. Præterea quoque, misselli isti legis a me, non facultatum damnati sunt, quo ipsos in sacra nostra cogam: quemadmodum illi nos essent coacturi, si ipsi, qui nunc serviunt, nobis imperarent.

Tum sic orsus loqui est sapiens Robertus; Moses, o Rex, Magister illorum, ejusque minister Josua, nullam gentem invitam ad Mosaïcam legem amplectendam

ctendam coëgerunt; ſed tantum, ut colerent ſeptem Noachi præcepta; quæ docent:

I. Fugiendum ſimulacrorum cultum.

II. Membrum vivo animali deſectum, non comedendum.

III. Divini nominis contumeliam.

IV. Stuprum.

V. Rapinam.

VI. Homicidium vitanda: &

VII. Judices publice conſtituendos eſſe. Quæ & primi omnium hominis Adami præcepta fuerunt. Præterea, cum Joſua urbi alicui oppugnandæ exercitum admoveret, primum proclamari juſſit: Quicunq; paciſci vellet, paciſceretur: eâ tamen lege, ut ſeptem Noachi præcepta amplecteretur. Sin minus, urbe derelicta, fugeret. Aut, ſi acie experiri vellet, in arenam deſcenderet & experiretur. Rex inquit: Joſua olim imperium ſuum more ſuo geſſit: ego nunc meum meo. Accipiamque ex tribus iſtis conditionibus eam, quæ rebus meis aptiſſima eſſe videtur. Puta, ut pro ſeptem illis Noachi præceptis, quæ profanis gentibus olim Joſua obtrudebat, unum Chriſti baptiſmum admittant. Tum vocatis Judæis Rex dixit: Ego ſaluti veſtræ ſedulo conſulo, quam vos obſtinatis animis perditum itis. Ex præſulibus enim, quin

quin ipſo Pontifice maximo ſæpe audivi: Quicunque per Chriſti baptiſmum vitæ crimina non expiarit, impurum haberi, & certo æternum perire. Quidam ex ſapientibus Judæorum inquit: Perſcriptum in lege noſtra eſt; Iſraelem ſpreviſſe magnum Dei munus, a Deo ipſis oblatum, terram illam beatam dico, illam lactis & mellis abundantem. Jam vero te rogo, o Rex, quæ tantum Dei munus ſpernentibus poena fuerit? Rex inquit: Id quoque in lege diſertim adſcriptum eſt; ut carerent eâ, qui ſpreviſſent. Sapiens ait: Etiam atque etiam vide, quid agas, o Rex; Obtuliſti nobis per baptiſmum vitam æternum beatam, ſpernentibus itidem pœna ſit, eâ carere. Rex ait: Ad ea, quæ corpus ſpectant, homo cogi non debet: terra autem beata ad corpus attinet. Sed cogi debet ad ea, quæ animum ſpectant, ut puer cogi ad diſcendum ſolet. Continuo omnes Judæorum primates in vincula abripi juſſit; ubi in ſitu & in tenebris morte triſtiorem vitam diu traxêre; multique per Hiſpaniam cœtus acerbiſſimis vexationibus victi, legem Moſaïcam deſeruerunt.

Rege mortuo, cum regno excedere liberum jam eſſet, multi alias & tutas ſacris ſuis ſedes quæſiverunt, & invenerunt; multi vero quæſiverunt, nec invenerunt.

X. Excidium decimum fuit tempore Regis Alphonſi, filii Regis Sanc.i, nepotis Alphonſi magni; qui decem regna habuit: Caſtellam, Toletum, Legionem, Gallæciam, Hiſpalim, Cordubam, Murciam, Guineam, Algarbiam,& Malacham. Rex Alphonſus anniculus erat,cum inciperet regnare: proinde regni proceres duos conſtituerunt proreges,qui regnum, donec Rex etiamnum admodum infans, adoleſceret, adminiſtrarent: alterum Petrum quendam,Regis Sanchi filium; alterum Johannem quempiam, qui cum ambo in acie cecidiſſent; Regem crearunt Johannem, Infantis Manuelis filium. Tum temporis vir quidam, gente Judæus erat in Oſſunenſi tractu, nomine Joſephus, Ephraimi filius, Abiboſeti Levitæ nepos: qui eximias ſuas virtutes, ſingulari quodam fato Regi ita probavit; ut ab eo tributis & vectigalibus regiis præficeretur: Joſephus ille, vir longe integerrimus & prudentiſſimus erat, Muſicæ artis, quæ una res Regibus gratiſſima eſſe ſolet, probè gnarus; inſigni corporis ſpecie, & felicitate quadam ſingulari. Rex hominis integritatem & felicitatem miratus, toti regno ſuo illum præfecit. Certe major illo in toto Caſtellano regno non erat; nam ſecundus a Rege, primus Judæorum erat. Alebat miniſtros, optimatum filios: rhedam ſibi cum equis compa-

comparavit, tum satellites quinquaginta; quibus regio more stipatus prodiret.

Illo ipso tempore fuit vir quidam fortissimus, nomine Martinus Gonsalus, memorati Josephi minister, à quo, cum aliquot regni locis præfectus ipse esset, defecit: atque Josephi domini sui magnitudini invidens, atque odio impulsus dixit: Quisquamne, cui virile ingenium est, Judæorum, gentis merito Deo hominibusque invisæ, superbissimum imperium tolerare potest? Et meditatus rationem, quâ Josephum cum suis everteret, inquit: Nunc scio, qua Josephum ulciscar probè, & ad Regem adiens, ait: Si me monentem audire digneris, o Rex, viam ostendam, qua ingentes divitias gerendis bellis parare possis. Tum Regi, quâ ratione futurum id esset, interroganti? Gonsalus ait: Vende mihi decem regni tui Judæos, & pretium accipe octo talenta, ærario regio inferenda. Regi, quinam illi essent, roganti? Gonsalus respondit: Primus est Josephus ille, qui ærarium tuum, cui eum præfecisti, & civium tuorum opes attrivit. Alter est Samuel, filius Wakeri, medicus, quem inter consiliarios tuos allegisti: aliosque octo omnium ditissimos. Hos vende mihi, filios & universas familias illorum.

Rex ait: Age, fiat. Gonsalus inquit: Rex mihi

literas annulo ſuo ſignatas tradat, ego pretium promiſſum repræſentabo. Rex detractum digito ſuo annulum ei dedit; quo ille accepto, quæ viſum eſt, ipſe plagiarius ſcripſit. Scilicet venditum ſibi a Rege Joſephum, quæſtorem regium: Samuelem Medicum, conſiliarium, & octo alios ditiſſimos Judæos, cum univerſis familiis, & omnibus facultatibus. Comprehenſus igitur eodem die Joſephus & Samuel eſt. Joſephus quidem inter comprehendentium manus expiravit. Quod ubi Regi innotuit, maximopere indignatus, præcepit: ut honorifice cadaver ejus Cordubam deferretur, deductum cadaver eſt ingenti equitum, totiuſque exercitus comitatu. Rex quoque uxorem, liberoſque ejus criminibus, quorum accuſabantur, abſolutos dimiſit; & reddendas vectigalium, quæ exegiſſent, de more rationes ultro remiſit. Plagiarius ille Samuelem & duos ejus fratres, cum liberis ſuis captos, in vincula conjecit; & inventa apud Samuelem magna auri & argenti vis eſt, atque abſtruſi theſauri. Ille admotis ferreis inſtrumentis pedibus ſuis, per diros tormentorum cruciatus, miſeram animam efflavit: incluſuſque loculo, totum annum in carcere jacuit inſepultus.

Hunc vitæ exitum Samuel invenit, vir ſummus

ſui

ſui ævi ſapientia, conſilio & motuum cœleſtium ſcientia, quæ Aſtronomia appellatur. Cujus res geſtæ Caſtellanorum Regum annalibus perſcriptæ leguntur. Poſtea Rex Gonſalum ad ſummos honores evectum, omnibus purpuratis ſuis prætulit, eumque Alcanteranum Antiſtitem creavit. Verum ille ſecundis his rebus elatus, magnaque ſatellitii & comitatus turba ſuperbus, jam omnibus Judæis perniciem machinabatur: primum Principes Judæorum, qui in regia verſabantur, fraude petendos, mox reliquos omnes evertendos eſſe, cenſebat. Videbat enim, rem periculoſæ plenam aleæ fore, ſi univerſos ſimul perdere vellet; metuens, ne Rex forte conſiliis ipſius adverſaretur. Hinc omnes Judæorum principes, falſis criminibus graviter accuſatos, apud Regem traduxit: imprimis Samuelem filium Jahaſi, & R. Moſen Aboriekem, qui autoritate & gratiâ apud regni proceres præſtarent. Hos domum ſuam perductos ita affatus eſt: Rex a vobis flagitat magnam pecuniæ vim, cui conficiendæ non eſtis: ille velut proxeneta conciliando Regi operam ſuam obtulit, cum tamen ipſe tam ſceleratæ fraudis autor, eos maxime perditos vellet. Sed ſingulari quadam Dei benignitate, fraus iſta, objectis Regi aliquot numulis, diſcuſſa eſt.

 Per-

Permansit Moses in regia, scribarum regiorum facile summus, felicissime ad altissimum honorum fastigium in regno Castellano evectus. Intellexit autem Rex Martinum Gonsalum, infestissimum Judæorum hostem, certare in contumeliam atque perniciem Judaïcæ gentis. Exorto forte inter Saracenorum & Castellæ Regem bello, Saraceni cum innumerabili exercitu, trajecto mari, duce Abumelecho, Abulhasani Regis Marocani filio, in Castellæ regnum irruentes, ingentem late stragem ediderunt. Tum regni proceres: Quid agamus, o Rex, tantis undique hostium copiis circumventi? Hic implacabilis Judæorum hostis Gonsalus: Ego vero viam monstrabo, quâ Rex ingentes opes sustinendis tanti belli sumtibus paret. Tum consiliarii: Ecqua ista via est? Gonsalus respondet: Si videtur Regi: Eripi jubeat omnes res suas Judæis, quotquot regnum ejus habitant. Ego, quod ereptum iis fuerit, redimam quadragies centenis millibus aureorum. Præterea Judæos regno suo pellat, ego enim efficiam, ut Christiani, cives ejus, tantundem Regi exsolvant pro tributis & vectigalibus, quantum Regi quotannis pendere solent Judæi. Hisce rebus ad Regem perlatis, Rex Gonsalum vocari jubet, sententiam rogat, auditam approbat. Tum Gonsalus, nec aliunde

aliunde magis id eluceat, quam isthoc tali consilio, quanta fide Regis commodis serviam. Et si forte Dei ipsis propitii reverentia obstare posse videatur; quo minus consilium hoc meum sequaris; jam pridem ab irato Deo derelictos esse cogites, velim. Quot anni jam sunt, ex quo Judæi nec Regem, neque judicem, nec Pontificem, neque legem habent. Est gens contumacissima, imbellis atque inutilis. Dum Rex in hostem ducit, illi domum servant, genio indulgentes, cuticulam curant. Quid commodi ex illis capis, o Rex? quin omnes everte, malam gentem malè perde: non convenit hic Regem esse clementem. Proinde Rex, dimissis per omnes regni tui oras literis, Judæos expelli jube & edici: Si quis Judæum receptaverit, bona ejus publicanda, ipsum capite plectendum. Tum præfectos quosdam constitue, qui omne aurum, argentum, cæteramque prædam ex Judæorum bonis coactam fideliter asservent, in regium ærarium inferendam. Rex, his auditis, conticuit. Verum amici Regis quidam, qui forte aderant, dixerunt: Gonsalum, postquam eum graviter increpuissent, nunc parum probum consilium dedisse: morem enim Castellanis Regibus veterem esse, Judæos amare, eosque defendere. Quemnam mortalium ipsi in hoc negotio esse obtemperaturum? Excitus

citus quoque divinitus Antiſtes Gillius plagiarium Gonſalum hunc in modum corripuit: Ideone te Rex ſuum conſiliarium eſſe voluit, ut tibi pariter ac Regi perniciosum conſilium dares? Annon univerſa Regis potentia ſingulorum Judæorum facultatibus ſuſtentatur? Et tu, ſi Diis placet, Regem etiam ad excindendam gentem illam impellis. Scilicet id agat Rex, quod nunquam laudatiſſimi ipſius majores egêre? Equidem non Judæos; ſed Regem ipſum odiſti. Quæ dicentem cum Rex magnâ animi attentione audiviſſet, prorſus conticuit. Hac oratione quoque concitati principes, acriter correpto Gonſalo exprobrarunt: iſta non Judæorum; ſed Regis odio, minime vero, ut videri vellet, Regis amore, eum ſuaſiſſe. Improbo Gonſali conſilio cognito, ſupra memoratus M. Moſes territus, miſſis literis omnibus Judæis rem ſignificat, qui trepidi in ſuas quique urbes confluxerunt: jejunantes, atque flentes ardentiſſimis precibus implorarunt opem Dei optimi maximi, quem majores ipſorum coluiſſent, dicentes: Magne Deus, ne peſſimo ſcelerati plagiarii conſilio perire nos ſinas, ſupplices te oramus. Peccavimus, juſtiſſime Deus, peccavimus: & nos peccaſſe pudet, & poenitet. Aſpice nos Iſraëlis atque Hieroſolymorum miſeras reliquias, per Hiſpaniam diſperſas, aſpice.

Unde

Unde si expellimur, paratum nobis exitium videmus ab iis, qui armis circundatos internecione sint deleturi. Quid tum magno tuo nomini fiet? nihilne nunc nobis auxiliaberis, o noster Deus? Audi nos Deus! audi nos! ut cognoscant gentes omnes, te o Deus, propugnare Israëlem. His precibus motus Deus, Israëlem ex faucibus istius plagiarii eripuit. Saraceni, de quibus supra memoravi, mari jam trajecto, innumerabiles militum copias ducebant. Tum Castellæ Rex, occupato mari, reditum Saracenis per Præfectos suos intercludi jubet, quibus Gonsalum Imperatorem præficit, qui assumpto ingenti peditum & equitum numero, magnis animis Saracenorum castra aggressus, gravissimam iis cladem dedit. Illi Panico terrore consternati, cæsi, fugatique fuerunt. Ceciderunt eo die ex Saracenorum exercitu armatorum decem millia. In quibus ipse quoq; Saracenici exercitus Imperator Abumelechus fuit, qui cum e curru sublimis pugnaret, inter loricæ & vestium commissuram sagitta forte trajectus, servo suo inquit: Eripe me ex acie gravissime saucium. Hæc fatus, ex vulnere curru delapsus obiit. A pugna Gonsalus reversus, & tantâ victoriâ superbus, continuo hæc secum: Nunc certe Rex voluntati meæ morem geret contra Judæos, & illam

O tanto-

tantoperè mihi expetitam inimicissimæ gentis vindictam tandem concedet. Sed nesciebat ille, Deum sibi potenti manu adversari; qui populi sui misertus Regem contra Gonsalum adeo concitavit, ut missis equitibus illum comprehendi juberet. Egressi equites, eum in agris equitibus & peditibus succinctum invenerunt. Quibus plagiarius inquit: Pacemne, an bellum huc fertis? Respondent illi: Non hercle pacem; Rex enim id nobis in mandatis dedit, te ut vinctum ad ipsum adduceremus. Quo audito protinus aufugiens in urbem Delatim venit, ubi munitæ arci se includens, misit, qui suo nomine graviter cum Rege expostularent, ipse interea multa in Regem absentem indignissima probra jactans. Sed hoc non sine Deo factum, cum ille fato evertendus esset, ut illâ ipsâ ratione fatum suum maturaret. Quibus convitiis vehementer Rex commotus, iræque œstro percitus, omnes illius fratres comprehensos in carcerem conjici, & omnia Gonsali fratrumque bona publicari & ærario inferri jubet. Deinde Rex arcem, qua se concluserat, oppugnari, illumque comprehendi vivum imperat: ille dum multa probra in Regem protervè ingerit, sagittarii ex arce equitem quendam, qui Regis armiger erat, telo trajiciunt, ille ex vulnere col-

la-

lapſus obiit. Hinc Rex acrius etiam irritatus, cum arcem facibus admotis incendi juſſiſſet, plagiarium forte evadere conantem comprehendunt. Ille Regis ſententia damnatus jugulatur, cadaver exuritur. Magnas merito gratias benigniſſimo Deo habemus, qui hanc mentem Regi inſpiravit, ut populum ſuum ulciſceretur. Quo vero tempore, hæc ſalus Judaicæ genti contigit, menſis Februarius erat. Iſrael Deo liberatori hoc Carmen accinuit. Celebrate uſque Deum, quia Optimus, Maximus eſt, & pro immenſa bonitate propitius ſuos reſpexit. Deus bellator eſt, hic pugnavit pro nobis. Dextra tua fortis eſt, o Deus, & majeſtatis tuæ fulmine dejeciſti inimicos tuos, & dignas illorum ſceleribus pœnas exegiſti. Quanta fabula, quantave carminis materies Poëtis erit canentibns: Oppreſſus afflictor ille, fractæ a Deo impiorum vires atque ſceleſti æternis imi Tartari cruciatibus damnati. Quo ſupplicio Rex Alphonſus placatus, cum aliquando Gonſali & factorum illius fortè meminiſſet, ſubjecere ei miniſtri, afferendos annales, unde facta ipſius recitanda eſſent. Tum compertum eſt, annalibus perſcriptum eſſe, ut Gonſalus Samuelem filium Wakeri, Medicum, ejuſque fratres criminatus, apud Regem in odium adduxerit; adeo ut Rex Gonſalo eos vendiderit,

cujus venditionis contractus annalium quoque monumentis consignatus habebatur. Tum quidam ex Regis ministris inquit: Si videtur, plagiarii fratres & omnia bona illorum vendi jube, eo quod ipse manum in Judæos injicere ausus est: & sic, qua licet, par pari referatur. Continuo jussu Regis, cuncta plagiarii istius, fratrumque ejus bona Judæis, qui apud Regem in ipsa aula degebant, divendita fuêre. Inde Rex annulum, Imperii insigne, digito suo detractum, quem jam ante plagiario isti ademerat, summo suo scribæ Mosi tradidit: qui novo honore lætus discessit: omnesque Judæi, qui in universo Castellæ regno erant, super tot, tantisque propitii Numinis beneficiis, gaudium atque lætitiam agitavere.

XI. Anno quinquies millesimo ducentesimo quinquagesimo, fuerunt generalia quædam contra Judæos edicta in Sabaudia, Pedemontio, Longobardia, Sicilia & Russia. Verum, quæ edicta ea fuerint, quæve eorum causa, annalium monumentis proditum non est. Florentiæ quoque publico edicto Judæis decretum exilium est. Hinc multi ex Judæis a lege Mosaïca defecerunt, & ne sic quidem tranquillitati suæ consuluerunt: prout Deus loquitur. Deut. cap. xxviij. vers 66. In gentibus quoque illis non quiescas. Aliquanto vero

post,

post multi, cultus divini causa, in alia regna migrare voluerunt, id cum patefieret, ipsos abitum parare, ut unum Deum alibi colerent, coorta immensa hominum multitudo in eos irruunt, & bona aurumque illorum, Regi quasi deferendum, iis eripiunt. Atque illorum Judæorum, qui fuerunt in Sardinia, magna pars in via, dum in exilium properant, interfecti sunt: quorum reliquiæ jam sunt in Provincia, qui post excidium illud, unum Deum ibidem coluerunt. Imprimis autem mulieres, in quibus rara constantiæ virtus, ac propemodum monstri similis est. Nam rogatæ, cur Veneris die ad vesperam lampades accenderent, & cur olera & legumina eodem die sub noctem ad fercula paranda afferrent, se hujusce rei autores majores suos habere, animose responderunt: quam mentem Deus iis propriam ac perpetuam faxit! Josephus filius Virgæ narrat, se huic haud dissimile exemplum audivisse, ex summo viro atque excellentissimo Medico, Mose Hamone; quod ipse Tiberiade vidit, ubi in bellum cum omnium Regum longe fortissimo Imperatore Solimanno profectus est. vidit, inquam, complures ejus terræ incolas, tabernas suas die Sabbathi clausas habuisse, cum tamen meri Muhammedani essent. Qui roganti causam, quare Sabba-

thi die tabernas ſuas clauſiſſent? Se nullam aliam ejusce rei cauſam, præter exemplum majorum habere, reſponderunt. Quæ haud obſcura veteris Judaïſmi veſtigia ſervant, jam inde ab iis temporibus, per quæ gens Judæa truculento atque horrendo excidio deleti, aut in Muhammedana ſacra compulſi fuêre.

Sed nunc ad propoſitum, unde digreſſi ſumus, revertamur. Igitur in illis terris, quas ſupra memoravi, eo ipſo excidii anno, in omnes gentes graviſſima peſtilentia graſſari cœpit. Inter illos autem, qui a Moſaïca lege, in Chriſtiana ſacra tranſire coäcti erant, ne unus quidem peſtilentiâ extinctus eſt. Chriſtiani cum viderent ſe ſolos, non vero eos, quos ex Judæis ad Chriſtianam religionem coëgiſſent, tam ſævo peſtilentiæ malo infeſtari, rati ob Judæos fœde a ſe habitos, luem iſtam ab irato Deo immiſſam, dixerunt inter ſeſe: Poteſtatem faciamus Judæis, in noſtra ſacra coactis, commigrandi in quaſcunque velint oras. Tum alii in alias terras migrarunt, ut ſe Deo ſuo probarent, & animæ ſaluti conſulerent. Alii vero in illis regionibus remanſerunt, metuentes, ne qua populi fraus huic rei ſubeſſet; ut iſta arte illorum animos tentarent.

Super-

Superfuêre tamen complura hominum millia, qui unum Deum constanter coluere; quamvis sub acerbissima censura, qua deterreri minime potuêre, quo minus Mosaïcam legem pro viribus, quantum iniquitas temporis ferret, quam religiosissime colerent. Invalescentes aliquanto post sacri censores, illos perdere, captos exurere, & bona illorum diripere cœperunt. Donec Rex aliquis extitit, qui miseratus illos, edixit: Ne quis posthac in regno suo, sacram istam censuram exerceret, neque falsis criminibus Judæos circumveniret; sed candidè cum illis ageret.

XII. Duodecima calamitas tempore Regis Manuelis, filii Alphonsi fuit. Erat Christianus quidam in urbe Ocana, cujus ædes ingressus infans, quasi trimus: & cum memoratus Christianus cum infantis matre, muliere Christiana graves inimicitias exerceret, ejici foras filiolum scelestæ mulieris jussit. Qui, cum ad vocem irati continuo non egrederetur, ipse irruens, calce in ventre gravius forte percussum, occidit. Ille ex ictu mortuum videns puerulum occuluit; nocte proxima cadaver in ædes vicini sui Judæi per fenestram immisit. Qui cum forte tum ab urbe abesset: & uxor multa nocte surgeret, ad subitum

inter-

interemti infantis conſpectum, pavore exanimata fuit: videbat enim, quo ſibi inſidias facerent, in ædes ſuas injectum eſſe cadaver. Itaque ad fores ſuas progreſſa viſum, numqua puerulum ad fores alicujus Chriſtiani projicere poſſet, audivit forte matrem infantis flebili voce vocantem & quærentem ſuum filiolum, vicinoſque dicentes: Ingreſſum eſſe puerulum illius Judæi ædes, nec egreſſum, haud dubie interfectum ab illis eſſe; cum hodie ille dies ſit, quo omnia ad proximi paſchatis celebrationem rite parari ſoleant. Quô auditô, miſera Judæa præ nimio pavore propemodum exanimata, hanc tamen ſalutis expediendæ viam excogitavit. Acceptum puerum ventri ſuo illigavit, & veſtes ſuas illi ſuperinduit. Tum parturientis more, ſellæ inſidens, quaſi magnitudine dolorum ejulare cœpit. Et cum filium miſiſſet obſtetricem accerſitum, ei advenienti clam aperit, quo inſidias ſibi factas evitaret, dolum hunc confinxiſſe. Interea, dum hæc geruntur, adeſt prætor cum lictoribus, qui tota domo, arcis, furno, puteo, adeoque abditiſſimis quibuſque excuſſis, puerum nullum invenit. Illa, cum jam totum diem ſellæ inſediſſet, proximâ nocte ſe abortum feciſſe callidè ſimulat; & duos viros, ſibi ſanguinis vinculo junctos, advocari jubet, qui

puerum

puerum fimo tectum, in proximos agros ſepeliendum, clam efferrent.

Poſtridie Chriſtianus, qui puerum calce occiderat, forte cum uxore ſua litigans, illi graviter percuſſæ lethale vulnus infligit, tum uxor vociferata ait: Num me quoque occidere vis, ut vicinæ filium occidiſti? Quæ verba interfecti pueri mater audiens, judicem adit, hic extemplo virum comprehendi jubet; ille, quæſtione habita, cædem confeſſus, narravit, ut interfectum puerum in Judææ ædes projecerit, ipſi perniciem machinatus. Tum pueri mater inſtat, Judæam comprehendendam, ut ſibi puerum ſepeliendum reddat, jam enim, de cædis autore, abundè conſtare. Judæa autem periculum metuens, ſe ſcire ubi puer ſit, negat: ſed cum judex jurejurando fidem daret, impune illi fore, modo quæ ſciat, ingenuè fateatur. Judæa his verbis animata, rem totam, ut geſta eſt, a principio ad finem, exponit. Quibus auditis, judex Judææ tantam ingenii calliditatem gratulatus, rem literis conſignatam Regi aperit: qui novas calidiſſimæ mulieris artes vehementer admiratus fuit. Cui tum ex regni proceribus, qui forte aderant, quiſpiam ait: Aſtutiſſima gens Judæorum eſt, o Rex, & haud ſcio, an ulla uſquam aſtutior eſſe poſſit? Ipſi

adeo gentium ingeniosissimi atq; callidissimi Romani, admirati tamen summum ingenium hominis Judęi fuêre, quod ipse Hierosolymis Romam ad Senatum Orator missus, sapientissima ad Senatum Oratione luculenter prodidit; quæ splendore suo Regum Romanorum annalibus perscribi meruit, unde nos eam depromsimus. Rex ait: Quin tu beas nunc me, & orationem ostendis? Tum oratio Regi scripta continuo exhibita est, quæ de Hebræo in Latinum versa ita habet.

O Potentissimi & verè rerum domini, Proceres, tuque florentissime & rebus semper secundis felicissime populus. Fatum & Deus, quem fœde deseruimus, voluisse videntur, ut illa quondam Asiæ domina, fœcunda Hebræorum genitrix, & antiqua sacratissimi Imperii sedes, Hierosolyma, nunc mutatâ rerum vice, Senatui populoque Romano serviret. Magna quidem Cn: Pompeji potentia, innumerabilisque militum manus, qua ille nos invasit. Sed major tamen infesti Numinis ira, majoraque vitæ nostræ crimina, quæ nos perdiderunt. Unum hoc certe præterire non possum, imo cum indignatione vobis prodo, quod utinam reipsa experti essetis Romani! Tam effusam Dei optimi maximi erga nos benignitatem esse, ut nos victores, vos victos, & eadem, quâ olim Ægyptii fortuna usos, atque

unum

unum Deum nostrum cunctis vestris Deastris potentiorem fuisse, eheu! nimium sero vidissetis; si vel decem nostrûm justi, inter quinquagies mille injustos fuissent: vel unus de tot millibus tanta vitæ integritate, ut unius virtutibus cæterorum vitia expiari potuissent. Pro certo habetote, quamdiu iratum infestumq; ob quotidiana vitæ crimina habebimus Deum, vos dominaturos nobis; sed quoniam mihi & vobis, non idem nostræ cladis & vestræ victoriæ autor esse videtur, nequidquam ego vos ad unius Dei, vos me ad plurium Deorum cultum adhortemini. Sed nos hujusce rei curam universi conditori & rectori Deo remittimus. Nunc ad legationis meæ causam venio. Scitis utique Romani, quanta fide pacem atque concordiam semper vobiscum coluerimus, quamque per omnia obsecutis, nullum unquam humanitatis officium, nobis negaveritis. Equidem scio, hoc quoque nomine pravam mortalium naturam dici posse, quod pacem quam verbis omnes amant, re minime colant; bellum quod verbis detestantur, reipsa promtissimis animis sequantur. Ego sic censeo, Romani, & vos singulari fide & recti studio monitos volo, quod ipsi pro prudentia vestra, vel nullo monitore, perspiciatis: Quamprimum obviam eundum, & graviter animadver-

tendum in eos esse, qui mentes vestras, quæ stare vobis rectæ solebant, nefariis consiliis suis corrumpunt, vosque in perniciem nostram clanculum concitant; finibus vestris exterminandos, Diisque suis relinquendos iratis, malos atque scelestos omnes esse censeo; qui perdere nos, gentem pacis tenacissimam, imo ipsam pacem obstinatissimis animis student. Opprimendæ sunt occultæ istæ publicæ tranquillitatis pestes, quæ nobis vobisque palam pacem, clam bella suadent. Pudet fateri Romani, ut pulso, ob iniquissimas leges Regis Edumæi maximo filio, Coponium, Marcum, Rufum & Valerium prætores substitueritis, quatuor ulcera & pestes Romani Imperii, quorum postremus quilibet vitiis & sceleribus universam Rempublicam vestram evertat; quid dicam, exiguam ejus partem, miseram Palæstinam? Proh pudor atque dolor! prætores veteribus vitiis coercendis missos, etiam ad nova vitia pessimo exemplo præire. Per Deum immortalem! quod turpius crimen in prætore dici aut fingi verbis potest; quam juventutem, quæ severitate legum retinenda a nequitia erat, morum suorum mollitie ad nequissima quæque abducere. O grande Romani nominis dedecus! a quibus integritatis atque virtutum

virtutum omnium exempla peti debebant, ab iis omnis corruptelæ & vitiorum exempla peti. qui legibus contra jus fasque convulsis & subversis, nova luxuriæ atque nequitiæ monstra juventutem nostram docuerunt: quæ majorum nostrorum nec audivit unquam, nec legit, nostra certe nulla vidit ætas. Unum mihi a vobis concedi oro atque postulo, ut pro omnibus consiliis, quæ Judæa accepit a Romanis, unum Roma accipiat a Judæis, ut benigne impetrare a nobis, quam aspere imperare omnia malitis. Violenta & cruenta superbe dominantium imperia, non retinentur diu, moderata bonorum durant. Cum plurima etiam potentissima regna, per tyrannidem suam & cruentas humani generis victimas, eversa sint: e contrario plurima per unius boni & æqui rectoris virtutem servata. Non qui sanguinem fundat; sed qui, firmo pacis & concordiæ vinculo, junctos civium animos continere sciat. Verum enimvero, qui ita ad rempublicam tractandam accedit, ut virtute & lenitate cives suos ad justa Imperii obsequia convertere, quam dolo atque fallaciis civium opes intervertere malit: quibus eum studiis prosequemur? quâ benevolentiâ complectemur? Quamnam, mediusfidius causam esse dicemus, quamobrem prætores isti, quos

præesse nobis voluistis, nos cives vestros, parum fideliter ad justum obsequium componant? nisi quod vixdum præturam ingressi, continuo multa dictu tristia, toleratu aspera imperent, cum æqua & lenia imperia mortalium animos conciliare: iniqua & aspera concitare soleant. Ad innumeras calamitates, quibus humana jactatur infirmitas, hæc quoque accedit, quod quantumvis bona & salutaria præcipientibus adeo non paremus, ut etiam ultro in vetitum nitamur, cupiamusque negata: quanto magis, si grandi publicæ autoritatis momento impellamur, jam ante sponte nostra in vitium proni. Dissoluta prætorum nequitiâ legum reverentiam excuti & verecundiam civium tolli, quis vestrum ignorat? Ita certe omnes censemus Judæi, quæ etiam oraculi fide comprobata sententia est: Si Rex homini indigno honores mandaverit, seu avaritiæ, seu gratiæ serviens; næ ille propediem famam suam in infamiam; fidem in perfidiam; felicitatem in miseriam vertisse sentiet. Sed cum alia multa habeam, privatim indicanda, hæc quidem publice dixisse satis erit. Unum hoc addo, Patres conscripti, quod audivisse interest vestra ad salutem; si imperium vestrum, tot tantisque periculis, tantoque sanguine partum, propagare in multa secula feliciter velitis; mementote,

ut

ut Romano nomine dignum eſt, æqua & juſta ſtatuere atque imperare: nos meminerimus obſequii promptitudine cum legum veſtrarum æquitate certare. Mittite nobis prætores, qui liberalitate & clementiâ nos potius retinere, quam alieno metu; & lenitate corrigere, quam ſeveritate miſeros corrumpere malint. Tum demum experiemini, quantâ fide, quantave alacritate juſſa veſtra capeſſamus: etiam atque etiam vos obteſtor, Patres Conſcripti, ut benigne petere a nobis omnia, non imperioſe flagitare velitis: quia petendo magis, quam flagitando unicum illud imperii veſtri columen, amorem, in civium animis excitabitis, ut precibus, non minis parentes ſuos liberi conciliare, & in obſequia ſua flectere ſolent: neque erit herclè, quod rebellionem ullam a nobis metuatis, quam ſervi, aſperrimis crudeliſſimorum dominorum imperiis exerciti, ad vindicandam libertatem meditantur. Finierat legatus Hebræus: Senatus atque Conſules Romani viri orationem admirati, eam tabulis publicis inſeri jubent, ut mos eſt genti, legatorum, qui ad Senatum miſſi ſunt, verba omnia in annales referre. Rex Manuel ait: quanta prudentia! quanta calliditate ſcientiam temperavit! quantaque vultus atque oris conſtantiâ locutus eſt! quantam ſapientiæ & perfectæ orationis vim ineſſe

ejus

ejus verbis oportuit, ut tantâ censoriæ orationis severitate Romanos non offenderit; præsertim cum nonnulla in leges ipsas dixisse videretur: Verum Hebræi facunda Oratio supra omnem invidiam fuit.

XIII. Regis supra memorati tempore, monachus quispiam sacram concionem publicè habiturus, invitavit ad eam audiendam Judæos, qui sibi magnopere metuebant, ne eo vocarentur, quo ipsos coram per ora totius populi traduceret. Audito, Judæi, malo consilio id agere monachum, ut virulenta oratione concitatam plebem in perniciem suam armaret, omnes Judæorum primates Regem adeunt, quem cum scirent veteris historiæ gnarum probè nosse, quæcunque de Judæis inclementius vulgantur, invidiæ tantum augendæ conficta esse, comperta etiam gentis innocentia, in hunc modum alloquuntur. Maxime Rex atque optime pater, fidem tuam supplices imploramus, defende nos a falsis calumniatorum criminibus, tu certo cum historiis, tum usu edoctus nosti, quanta sit actionum nostrarum innocentia, & quam inique circumveniamur publici odii victimæ. Ecce ut audivimus, monachus quispiam invectivam in nos parat. Respondit Rex: Egregie certe vos Moses legislator vester

vester pernovit, qui vos vivis coloribus ita depinxit: Levit. xxvj. v. 36. In fugam illos conjiciet strepitus agitati folii. Postquam enim publico meo edicto universos vos iis criminibus absolvi, quorum falso accusabamini: nunc quem metuitis? Monachum illum, quem dicitis, probe novi, ego quoque vocatus concioni ejus interero, perierit monachus, si vel verbum adversus vos hiscere audeat. Proximo Solis die, cum Rex ad concionem invitatus adesset, in hunc modum orsus monachus est. Quid faciendum pessimæ huic Judæorum genti? quid faciendum? Rex his auditis ex concione indignabundus se proripuit: quem extemplo cursu de suggestu consecutus monachus ait: Rem omnem nondum audivisti, o Rex; Sine me pervenire, quo volo, nam prioris orationis posterior interpres erit, quæ tibi facile sententiam meam approbet. Quid faciendum autem genti illi? quid? Nisi colendam, æstimandam & omni studio complectendam, ut optime de nobis omnibus meritam: quæ felicitatem atq; regnum omnibus optanda pertinaciter a se spernentes nobis tradiderunt. Si enim Judæi integritate atq; virtute præstitissent, dominati nobis fuissent, ut oraculum habet Deut. cap. xxviij: 1. Faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Quantopere lætor,

Q cum

cum Judæos esse malos audio: illorum enim malitia & vitæ crimina quodcunq; hoc regni nobis concilіant. Proinde benefacere illis oportet, qui nobis confirment regnum: & quanto frequentius prævaricantur, tanto in majori honore eos habere convenit: nec præter jus fasq; insidias iis struere atque perniciem machinari. Atque ipse ille humani generis Servator de illis pronunciat: Qui tangit illos, tangere pupillam sui oculi. His monachi verbis valde Rex afficiebatur, quanquam eum non falleret, orationem & vultum illius ab animo dissentire. Porro autem monachus inquit, ubi peccarunt Judæi, aversus atque infestus Deus eos destituit, atque naturæ arbitrio permisit. Quæ si illos salvos esse volet, servabit: si perditos; perdet: si humiles; affliget. Rex ait: Res illæ, quas naturæ inevitabilis necessitas potenti manu temperat, perpetua quadam rerum vicissitudine, modo melius, modo pejus habent. Nos vero Judæos jam olim cecidisse; sed nunquam emersisse & pristinum imperii decus recepisse scimus. Quæ si illis naturæ lege calamitas evenisset, perpetua certe esse non debuisset. Nunc autem cum tristis fortuna miseros tenaciter urgeat, cui dubium esse potest, Judæos omnes non naturæ; sed irato Deo, natura ipsa potentiori, has pœnas dare?

Postremo,

Postremo si te parum hæc oratio mea moveat, moveat certe oraculi illius indubitata fides. Deut. cap. xxxi: vers 18. Ego autem abscondam & celabo faciem meam. Quo verbo victus monachus, pedibus in Regis sententiam ivit.

XIV. Calamitas decima quarta accidit sub Romano quodam Pontifice, viro alioquin pio, veri atque æqui observantissimo, omni virtutum genere & vitæ integritate insigni, qui sororem habebat Judæis infestissimam, ipsorumque exitio perpetuo imminentem; Sangisæ nomen erat: hæc inexpiabili Judæorum odio impulsa precibus fratrem Pontificem fatigavit, ut omnes suo expelleret dominio Judæos, dictitans: indignum videri, cum ipse Christi vicem in terris sustineret, Christi hostes in regno suo ferre, seque ex præsulibus sanctissimis viris sæpe audivisse, ex quo generis humani Servatorem Christum spreverunt, animi vitiis impuros semper fuisse, imo ex illa peccati labe, quam primus omnium parens Adamus in omnem posteritatem sparsit, impuritatem traxisse. Quam salutari baptismi aqua eluunt Christiani, illa cum destituantur Judæi, perpetuis corruptæ naturæ sordibus fœde obsideri. Ipsum Servatorem tantam contumeliam vindicaturum, nisi impurissimam gentem, regno suo & sa-

cratiſſima religionis ſede Roma, quæ Chriſtianis omnibus pro loco ſanctiſſimo Hieroſolymis eſt, quamprimum maturet expellere. Si vero ejecerit, præmium glorioſam immortalitatem, æternumque beatas cœlorum ſedes habiturum; qui Pontifex maximus Reges omnes exemplo ſuo ad ſimile pietatis ſtudium provocaſſet. Reſpondens Pontifex inquit: o ſtuporem mulieris! quibus Servator ipſe pepercit, & ut oculi ſui pupillam tangi vetuit: iis nos non parcamus? ſed nempe mulier colo ſuæ affixa hæc alta & ſublimia non capit. Certè pravi ingenii malignitas eſt, quæ dicere te hæc juſſit. Nam quod tu baptiſmum eos habere negas, & impuros eſſe dicis, circumciſionem habent, qua expiantur. Cujus vicem nobis Chriſtianis præſtat baptiſmus, quem Servator infantium noſtrorum miſertus inſtituit, ne miſelli in ipſo ſtatim vitæ limine, vix dum materno utero egreſſi, fuſo ſanguine ſacris ſuis inclementer initiarentur. Adeo ut monſtri ſimile videatur, etiam ſupereſſe Judæorum gentem, cum infantes a matre adhuc rubentes, membris & artubus mollibus maxime & infirmis, duriſſimis dolorum crucitatibus circumcidantur.

Sangiſa, reſponſo hoc Pontificis accepto, & cognita ejus mente, haud plura locuta fuit. Verum

diebus

diebus aliquot post, idem petitum ad Pontificem rediens, una secum adduxit Episcopos, qui testarentur, cum ipsi crucis imaginem præferentes præterirent vidisse sese Judæos, ipsos irridentes, atque inter se Episcopos subsannantes. Crebris ejus obtestationibus & blanditiis, atque Episcoporum testimonio victus Pontifex annuit; & universale Judæorum exilium per totam ditionem suam decernit. Hujusce rei fama vulgata, ubique magnam tristitiam Judæis attulit, imprimis vero illis, qui ditionem Romanam habitabant, ingentem luctum: quia illis locis educati, & divites facti, ædes possessionesque ære suo emtas habèbant, argento auroque affluentes. Erat forte per illa tempora Hierosolymis Rex quidam benignus, Judæorum perquam amans, Robertus nomine: cui cum Pontifice familiaritas atque amicitia colebatur; ad illum Judæi legatos cum muneribus ritè mittunt, qui peterent, ut intercederet Pontificis iræ; ne Judæos indignissimis modis male perditum iret: tum qui edocerent Regem, Sangisæ artibus atque insidiis omne hoc malum ipsis conflatum esse. Et si forsan opus sit, ut Rex pretium aliquod, redimendo exilio, pro se Pontifici spondeat; se illud Romæ statim persoluturos. Mittunt quoque dona & munera omnibus

Antiſtitibus, ut placarent Sangiſam; quodſi reſcindi edictum ipſa non patiatur, ſaltem hoc eam exorarent, ut ſibi exilii diem proferat, quo interea ædes atque poſſeſſiones ſuas divendere, facultates colligere, nomina exigere, & expectare reſponſum a Rege Roberto poſſint, qui forte huic malo remedium aliquod inveniat.

Antiſtitum opem nequicquam dum implorant, ecce affertur reſponſum Roberti Regis, qui benigne ſolatus miſeros juſſit bono animo eſſe. Legatoſque ad Pontificem maximum mittit, rationibus & precibus Pontificis animum tentaturos. Quibus Pontifex ait; Illud edictum jam juſſu ſuo promulgatum, ut Sangiſæ petenti, quamvis invitus, pollicitus erat. Nec Pontificis eſſe, dicta ſemel & promiſſa revocare & reſcindere. Verum ſi promiſſi religione, qua Sangiſæ fidem aſtrinxerat, ſe ſolvat Sangiſa; ſe quoque edictum hoc reſcindere poſſe. Rex Robertus, audito Pontificis reſponſo, tum demum intellexit, unde iſtæ lachrymæ. Miſſis igitur legatis ad Sangiſam, ei centies millenos florenos Judæorum nomine pollicitus, facile eam placat. Tum Judæi, poſtquam æs hoc confecerunt, illi afferunt. Quô Sangiſa conciliata Judæis, Pontificem adit, & orat; ne finibus ſuis expellat Judæos, dictitans: ſe gentis

amore

amore calamitates ejus miserari. Imo auri amore, inquit Pontifex; & continuo edictum exilium rescindi jubet. Sed vix post multa tædia, multosque labores in hunc tranquillitatis portum enavigarunt.

XV. Cladem decimam quintam urbs Montison vidit, ubi Judæi mediis festivitatis paschalis diebus rus prodeambulatum iverunt, ut se lusu reficerent; ibidemque luserunt myindæ lusum, quem pueri ludere solent. Scilicet cum quis in medio positus obstructis velamine luminibus, fugientes tantisper exquirit, pulsatus interim a circumcursantibus, donec ab eo prehensus quispiam, ejus vices subeat. Illac rustici transeuntes cum Judæis altercari & contendere cœperunt. Inde digressi dixêre inter se: Quo pacto ulciscamur pessimos istos Judæos? quid? si accusemus eos apud judices, quod virum illum in medio collocatum, per contumeliam, nomine Jesum vocaverint, eique caput pulsaverint, cavillantes his verbis: Jesus iste vinum bonum vendit. Eunt ad judices, rem deferunt, illi credunt; maximeque tumultuati clamant, operæ pretium esse, facinus indignissimum ad Regem referri. Plebs nihil cunctata in furias ignemque ruit, ferrum corripit, Judæos invadens obtruncat ad unum omnes,

præter

præter puerulum, qui ſylvæ latebris conditus furentis plebis rabiem ſolus evaſit, cæteri Judæorum infantuli ſacro baptiſmi fonte abluti, Chriſtianis ſacris initiantur. Poſtridie cum Judæi ex urbe vicinâ eo forte venirent, ex latebris proreptans puer, quo tenditis, inquit? & ſimul rem totam, ut geſta erat, exponit: illi continuo fugientes, puerum ſecum una domum abducunt. Quo cognito, Chriſtiani perſecuti quidem illos; ſed non aſſecuti ſunt. Parum tamen abfuit, quin oppreſſi in fuga periiſſent. Domum reverſi, magnam gentis ſuæ trepidationem vident, jam enim rumor cædis in urbe Montiſon factæ, illuc perlatus omnes terruerat; ſed illi incolumitatem magnis muneribus redemptam obtinuerunt.

XVI Clades decima ſexta in Hiſpania fuit; veniunt ad Regem Chriſtiani dicentes: ſe inveniſſe hominem quendam occiſum in cujuſdam Judæi ædibus. Et cum forte apud Regem eſſet Conſiliarius quiſpiam, qui acerbius in Judæos inveheretur, populus oratione ejus concitatus, Regi minari auſus eſt: Niſi homicidii pœnas Rex ſumere maturaret, ſe ipſos ſumturos eſſe. Rex ait; per ſummum, maximum juſtitiæ præſidem præſtitemque, Deum, veri amatorem, oſorem falſi, ego oſtendam vobis hodie,

die, vos ficta crimina, merasque calumnias ad me deferre, & quæ modo dixerit consiliarius meus, solo Judæorum odio dixisse. Missis itaque, qui omnes ad se convocarent Judæos, ubi convenisse videt, rogavit illos: Quid sibi vult, quod David ait. Psal. cxxi. vers 4. Ecce non dormitabit, neque dormiet custos Israëlis? Quodsi non dormitabit, multo minus dormiet, quia linguâ Hebræâ vox (שינה) somnus, profundius quid notat, quam (תרדמה) dormitatio, ut audire me ex linguæ Hebrææ peritis memini. Respondent Judæi: Enarratores nostri locum ita accipiunt, ac si dixisset: non dormitabit, quanto minus dormiet. Rex inquit, inepta ista quidem interpretatio est, illud enim, ut cum vulgo loquar, est principium petere: neque enim intellexêre germanam verborum illorum sententiam, quæ hæc esse videtur; quam ipse hisce meis oculis vidi. Nempe proxima nocte versans me in utrumque latus, nec quietem, nec somnum carpere potui: proinde e lecto meo surgens in atrium extremum prodeo, & capite exerto de fenestra prospicio, Luna fulget, video currentes homines quosdam, quorum aliqui portabant humeris simulacrum hominis instar. Mitto tres viros, qui pedetentim eos secuti probè explorarent, rem exploratam mihi referrent, num hominis occisi cadaver aliquod, aut quid tan-

dem rei esset? Eunt, ut præcipio, ministri, in obscuro aliquo loco abditi vident interemtum hominem esse; agnoscunt quoque duos ex iis, qui cadaver illud ferebant; & en! vobis hujusce rei testes ministros meos dabo. Illi adsunt, testantur: Roganti consiliario, Quare non comprehendissent illos? respondent: Illos properasse, & cadavere in aream cujusdam Judæi projecto, aufugisse. Præterea illos armatos, se contra inermes fuisse: nec Regem præcepisse, ut caperent illos; sed tantum, ut quid rei esset, diligenter cognoscerent. Tum Rex ad verba illa Davidis, Non dormitabit, neque dormiet custos Israelis, declaranda rediens, sententiam eorum hanc esse dicit. Quod ille non dormitabit, nec dormire patietur eum, qui custodit Israëlem. Quibus auditis, plebs tristis discedit; sed conjurati sceleris sui morte poenas dederunt.

XVII. In Galliarum regno duo forte maligni homines Regi indicarunt: se vidisse Judæum, qui comprehensum Christianum per vim domum suam abripuerit, haud dubiè interimendum: quippe ille dies erat, quo ad proximum pascha omnia ritè parari solent, quem parasceven appellant. Igitur Rex, justi & veri amantissimus, cum videret falsa crimina & meras calumnias, Judæorum odio confictas; illos

omnes acriter increpitos, foras expelli jubet, minitans: si quis aliam ullam contra Judæos calumniam posthac ad se deferret, securi percutiendum. Illi furibundi, quod Regi falsum malignè testari, & scelerati esse, viderentur, abeunt: ingentem populi multitudinem convocant; jurejurando eidem confirmantes, Judæum correptum Christianum obtorto collo traxisse in ædes suas, se oculis suis vidisse; neque dum Christianum egressum Judæi domo esse. Adjungunt & illud, indicium se fecisse id Regi; sed sensisse & dolere se, Regem prava animi lenitate parcere contumacissimis, & Christianæ religionis infestissimis Judæis, non parcere Christianis, consortibus secum eorundem sacrorum. Tum imperita multitudo inquit: agite vero, astu circumveniendi sunt. Igitur subornati duo Christiani testantur, cum adiissent Judæum illum, ut fœnori ab eo sumerent, deprehendisse se egredientem e cubiculo habuisse in manu cultrum sanguine etiamnum madentem. Rex vocato ad se Judæo, inquit: Quid sibi culter iste tuus cruore oblitus voluit? Judæus respondit; aves celebrando festo meo jugulavi. Purpurati Regi inquiunt: Non jugulantur aves in cubiculo: proinde cum cædis haud temere suspectus sit, merito Judæus tormentis subjiciatur, res extorque-

atur. Mox Regis jussu, quæstione habita, a se cædem illam factam esse fatetur, impulsoribus quinquaginta Judæorum primatibus, qui una secum in cubiculo fuissent. Rex comprehendi etiam primates illos jubet. Quo cognito Judæi continuò gemitu, luctu & ploratu omnia implent; totius suæ gentis excidium metuentes. Ergo congregati adeunt Regem, dicentes: Clementissime Rex: Priscis Regibus, majoribus tuis, legibus constitutum est. Confessionem expressam per tormenta, adversus ipsum confitentem; non adversus eos, de quibus confessus est, valere. Et si Judæus iste interemerit Christianum, nos certe cædis nullius nobis conscii sumus: neque tantum facinus nobis ne per somnium quidem in mentem unquam venit. Non enim ita insanimus omnes, ut per unius hominis cædem nos, liberosque nostros in præsentissimum capitis periculum conjiciamus: præsertim cum ejusmodi cædem nusquam præcipiat Deus. Nisi vero iis legibus stemus, quibus olim constitutum sancitumque est, uti per tormenta confesso de se tantum, non etiam de aliis fides habeatur; periculum certe est, ne quisque, ut furtum, aut rapinam commisit, continuo dicat: Omnes urbis optimates, una secum in furto, aut raptione fuisse.

Rex

Rex ſuper ea re Purpuratos ſuos interrogat: Utrum ea lex annalibus perſcripta habeatur? Illi diſertim eam haberi, & Judæos verum dixiſſe, reſpondent. Rex jam mitior ait: Cur non prius, quam Judæi monerent, vos me ejus legis admonuiſtis? exhibete mihi annales; ut ipſe legem inſpiciam. Allati annales, compertumque ex iis; rem prorſus, ut narraverant Judæi, ſeſe habere. Rex omnes Judæos, præter illum, in cujus domo repertum cadaver erat, vinculis ſolutos dimitti jubet. Erat forte tum temporis in regia princeps quiſpiam Saracenorum nomine Orator ad Regem miſſus. Cui Rex ait: Dic mihi venerande vir, num ſimile quid in veſtris regnis unquam accidit? Saracenus ait: Nunquam tale quid audivimus, nec vidimus. Certe eſt, quod Regibus noſtris gratulemur; qui aures non præbeant ejuſmodi anilibus nugis, quas nec ſuadet ratio, nec lex ulla præcipit. Quomodo enim Judæus auſit interimere Chriſtianum: qui in Chriſtianorum regno degens, illorum imperio pareat? Quanto minus, quod omnium abſurdiſſimum eſt, humano ſanguine litare audeat? Quod nulli uſquam genti uſitatum, fando accepimus; quantumvis abſurda & anilia ſacra colerent: quinetiam tam dirum, tamque ab omni humanitate alienum ſacrum, nulli

unquam genti,ut ſolenni ritu celebraret, in mentem veniſſe aſſerere auſim. Sed vos hic ita credula turba eſtis,ut res,quas credere eſt nefas; facillime credatis. Rex indignatus inquit: Reus faſſus cædem eſt, cædes expiare regii officii eſt: Quid faciendum cenſes facinus faſſo? quantumvis abſurdum id videri poſſit? Ad quæ Saracenus: Confeſſio tormentis in regno noſtro extorta, ſi etiam alia argumenta acceſſerint, ad facinoris conjecturam; non vero ad ſupplicii neceſſitatem valet. Quidam Chriſtianorum, qui forte aderat, Saraceno ait: Venerande princeps: quod immane hoc ſacrum apud vos non peragant Judæi, inde eſt; quod ipſis cum Muhammedanis lis eſt nulla; magna & perpetua illis eſt cum Chriſtianis, de Servatoris noſtri Jeſu Chriſti negotio. Hinc Chriſtianum correptum, per contumeliam Jeſum vocant, interficiunt; interfecti ſanguinem hauriunt:ut quâ poſſint, Servatorem noſtrum Chriſtum ulciſcantur. Orator ait;Hoc ipſum etiam magis me moveat, ut credam: iſta invidiæ & odio augendo conficta eſſe, nam cui mortalium vero ſimile videatur, quod cum olim ſontem ipſum Chriſtum, ut videri volunt, ex animi ſui ſententia ſint ulti, nunc etiam alios inſontes Chriſtianos eandem ob culpam ulciſci parent? Convenientius certe erat,

ipſum

ipſum Chriſtum vindictam ſumere de Judæis; non vero Judæos de Chriſto, Judæi enim ipſum crudeliſſimè excarnificatum interfecerunt: ut vos quidem ſentitis. Nos vero Chriſtum nequaquam interemtum; ſed vivum in cœlos ſubvectum eſſe credimus. Sed loquor ex mente veſtra; vidi enim, in templi cujuſdam veſtri parietibus, depictos omnis generis cruciatus, quibus affecerunt eum Judæi, & circumdatam capiti ejus coronam, quali capita ſua redimire ſartores; aut qualem bibliopegi librorum involucris imprimere ſolent: & ita Chriſtum ultis ſupervacuum videatur, etiam Chriſtianos ulciſci. Quinimo Chriſtum potius patrem ſuum rogare oportebat, ut juſtiſſimus ſcelerum Vindex indigniſſimæ necis dignas pœnas a Judæis exigeret. Ingentes gratias univerſi conditori & rectori Deo merito agimus, qui nos falſa religione ſecretos veræ tranſcripſit. Reſpondent Chriſtiani: dixiſti; Servatorem Chriſtum repetere debuiſſe poenas a Judæis: ſed eum repetiiſſe res ipſa teſtatur. Ob quid enim aliud in exilio oppreſſi, ſqualidi, luridi, vexati & ſpoliati, niſi ut perpetuas necis Chriſti poenas luant? Tum Muhammedanus: ſi pater, quę veſtra ſententia eſt, ob filii necem pœnas a Judæis exigat: num veriſimile eſt, Judæos poenas illas ulciſci velle, atque ita novam vindictam, no-

vaſque

vaſque poenas provocare? Mihi hercle non fit veriſimile; ſi vobis commentum placet. Huc accedit, quod ſi Deus Judæos punit, quid attinet, vos aliam etiam illis poenam addere? Nec hæc eo dico, quo Judæorum cauſæ patrociner: neque enim aut ſacra noſtra, aut regnum colunt: nec quod eos amem. Scio enim, quid pleriſque ſacris vatibus fecerint; ſed rogatus a Rege, quid ſentirem, id quod res eſt, libere dixi. Rex, verbis Saraceni auditis, maximopere indignatus eſt: vidit enim illum omnes notaſſe Chriſtianos: verum cum non temere; ſed cum ratione locutus videretur, Rex iram cum voce repreſſit. Tertio die populus cognitis calumniis, quas Saracenus in Chriſtianos evomuerat, coarguens illos aut impietatis; aut ſtultæ credulitatis, coorti falſos duos teſtes ſubmittunt, qui in hunc modum teſtantur: Nos in hujus Judæi ædes, ut cum eo rationes conferremus ingreſſi, vidimus ibidem omnes illos quinquaginta Judæorum primates, quorum conſilio cædem iſtam feciſſe, Judæus faſſus eſt. Vix ingreſſi, cum omnes ſubito conticeſcerent, continuo ſuſpicati ſumus, aliquid monſtri ali. Inde recedentes, ut poſt januam nos occuluimus, Judæum eos his verbis alloquentem audivimus. At ſi forte, me occidiſſe Chriſtianum palam fiat, num deſeratis me? Reſponderunt illi:

Ingentes

Ingentes ad liberandum te habemus divitias, noli timere, nec trepidare. Rex, testimonio hoc audito, maxime lætatur, habere se jam, quo Saraceni verba confutet. Hinc ad eum conversus ait: Quid tu ad hæc, Venerande Saracene, qui modo etiam ultro impietatem, aut stultam credulitatem nostram notare es ausus? Respondit Saracenus: Notare te, o Rex, mens non est, nec fuit: sed conjuratos istos tetigi, & postquam hoc accessit testimonium, negotium illud longe mihi absurdius videtur, quam dudum. Quid? num Judæi rem usque adeo periculosæ plenam aleæ loqui auderent eo loco, ubi loquentium verba exaudirent Christiani? Ego enim audivi, Judæos esse admodum circumspectos & meticulosos: num ergo verisimile est, constitisse & agitasse consilia sua in ejusmodi loco, unde verba illorum facile auditu percipi possent? aut adeo altâ voce locutos esse, ut tam clare exaudiri ipsi potuerint, quam sigillatim omnia enarrant isti testes? Hæc cum verba fecisset Saracenus, totus consurrexit populus, inquiens: Num Saracenus iste Rex noster est? Tu Rex noster, nosterque judex es: proin jus nobis dicito: ne tandem, læsa populi patientia, in furorem vertat, & postea nulla arte, aut consilio placari possit. Rex Saraceni

 verbis

verbis magis irritatus, testibus facilius obsequitur, sententiam absurdissimam ferendo: Comprehenderent omnes illos quinquaginta Judæos, qui interfuissent consilio, singulosque singulis doliis, quæ clavorum spiculis intus extantibus undique horrerent, inclusos per publicas urbis vias versarent. Tum surgens ex purpuratis quispiam non sine Numine, Regi inquit: Lex lata a priscis Galliarum Regibus est: Quodlibet capitis supplicium, si de quinquaginta, aut pluribus viris sumendum est; Regem ipsum auspicari, totum populum Regis exemplum sequi debere. Proinde legem serva, exemplo præi, o Rex, unum dolium versare incipe, nos alacres te sequemur. Rex ait: meum non est, abrogare & subvertere leges atque statuta regni; sed confirmare. Ibo itaque & auspicabor supplicium, quemadmodum jussistis. Ivit Rex, & pedem, quo impulsum dolium versaret, sustulit: sed contractis crurum nervis collapsus humi, animo defecit. Verum postquam ad se rediisset, extrahi Judæos è doliis jubet; quia sentio inquiens: Deum universi rectorem, justi & æqui præsidem præstitemque esse; nec ferre tantam istam injuriam posse. Populus evidentissimo isto prodigio perculsus, versandis doliis, nec manum, nec pedem admovere est ausus. Rex currui impositus,

& do-

& domum delatus, petit à Judæis, ut Deum pristinam valetudinem sibi orent. Orant Judæi, paucis diebus post Rex sanatur, & Judæi deinceps per universum regnum, in magno honore atque pretio habiti fuerunt. Aliquot diebus interjectis adsunt Christiani dicentes: Clementissime Rex, novo isto prodigio, non nisi eorum Judæorum innocentiam palam asseruit Deus, qui falso cædis accusabantur: Verum ille Judæus, apud quem interemti Christiani cadaver inventum est, supplicium meretur. Tum Rex rem diligentius cognosci jubet, repertique sunt Christiani, qui testarentur, se vidisse virum quendam, cadaver in ædes Judæi projicientem. Cui continuo Rex manus pedesque præcidi imperat. Severo hoc exemplo edito, compressus populi furor, & paulo ante feroci ultro terror injectus est. Alii aliter hanc rem narrant; sed nos uti perscriptam annalibus ab Historicis Gallis legimus, exscriptam bonâ fide hic exhibemus.

XVIII. Calamitas decima octava in insula illa, quæ nunc Anglia appellatur, magna & atrox per omnia Judæorum conciliabula extitit, quæ per ea tempora frequentissima & copiosissima fuêre, sapientiâ, prudentiâ & gloriæ famâ inclyta; imprimis autem Londini, in urbe maxima, ubi circiter

bis mille familiæ erant, ſapientiâ & divitiis præſtantes. In qua urbe ſapientiſſimus Hebræorum Magiſter Abram Ben Eſræ epiſtolam illam ſcripſit, quæ Sabbathi epiſtola appellatur. Calamitas vero inde orta eſſe dicitur: juſſi mutare religionem cum in avitis ſacris perſtarent; hac arte evertere Judæos aggreſſi Chriſtiani; fingunt & dictitant, adulteraſſe monetam. Rex audito illo crimine, rem accuratius cognoſcit, comperit ipſos illos delatores monetam adulteraſſe, & culpam ſuam in innoxios Judæos conferre ſtuduiſſe: Sed illi quidem turpiſſimi facinoris pœnas effugerunt. Haud multo poſt redeunt Chriſtiani, teſtes ſceleris contra Judæos quærunt; inventos ex animi ſui ſententia, qui teſtentur, adducunt: vidiſſe ſe Judæum, monetam adulterantem. Rex quamvis omnia ficta eſſe certo ſciret, populi ſeditionem metuens, ejuſque querelis obviam ire volens; ne forte ſtrictis de more gladiis, in Judæos irruentes promiſcue omnes, nullo obſtante, obtruncarent: quo ipſorum ſaluti conſuleret, regno pelli omnes jubet. Exilium hoc incidit in annum quinquies milleſimum viceſimum ab orbe condito.

XIX. Decima nona calamitas eodem memorati exilii anno accidit, cum cogerentur duo cœtus per-

magni,

magni, Neapolitanus & Tranensis avita sua sacra deserere; magna Judæorum pars a sacris quoque suis defecerunt. Causam quidem, ob quam cogerentur, scriptam nullam inveni; sed a majoribus meis, hanc eam fuisse accepi. Monachus quispiam, post jurgium cum Judæo, in urbe Trana quærit causam, quâ recentem iram in universum Judæorum genus evomeret. Occulit imaginem crucis in sterquilinio alicujus Judæi, mane narrat: Per noctem se in somnis vidisse, quemadmodum Judæi imaginem crucis in sterquilinio defoderint. E vestigio aliquot Christiani, ad quærendum & investigandum properant; invenitur in cujusdam ædibus Judæi in fimeto imago crucis. Tum populus ira percitus omnibus Judæis vim intentat. Quo audito, magistratus eas monachi alicujus machinationes esse suspicans, Judæos a populi furore defendere parat. Sed videns se, inferiorem numerosissimi populi viribus esse, Judæis consilium dat, quo saluti suæ consulerent, religionem suam mutarent: neque enim aliam expediendæ salutis viam superesse. Pars religionem mutat: alii Neapolim confugiunt; quos Christiani acriter persequuntur. Ipsi quoque Neapolitani cives, & quotquot illum tractum incolebant, audita rei fama, qui-

cunque ficto isti crimini, de crucis imagine defossa, fidem haberent, insurgunt contra Judæos, qui Neapolim habitabant, ferociter instantes, proderent fugitivos Judæos, aut promiscue se universos obtruncaturos. Neapolitani Judæi, se una cum illis in magno versari vitæ discrimine videntes, eos tradunt; qui religionem mutare coacti sunt. Qui vero reliqui, viri eminentissimi in magnatum ædibus occulti latuerant, concitatæ plebis furori subducti sunt: qui tamen; cum popularis furor desæviisset, adhuc trepidi e latebris clam in externas & longinquas oras profugerunt. Tranæ autem, Baræ, & Neapoli fuerunt viri scientiis celebres: imprimis vero admirandi oratores, & poëtæ, qui pares certè non habuerunt, præter eos, qui Galliæ Provinciam incolebant, scientiarum & artium laude, reliquos Judæorum longe superantes. Haud multo post, Rex comperto, improbum aliquem monachum hujus calamitatis machinatorem fuisse, suspendi eum jubet. Sed cum populus monachalis dignitatis reverentiâ ductus, supplicio intercederet, Rex illum in remotas insulas relegat.

XX. Clades vicesima in Galliarum regno universale fuit exilium: cujus tamen causa scripta non reperitur à Gallis, verum in Germanorum annalibus

bus perſcripta ea extat. Monachum ſcilicet quendam ex Dominicanis, quos vulgo prædicatores vocant, amaſſe mulierem Judæam admodum formoſam; ejuſque nuptias diu; ſed fruſtra ambiiſſe. Verum poſt multas improbas flagitationes, quibus ille inſtaret, ait illa; ſibi per legem ſuam id ignominiæ futurum, ſi præputiato nuberet. At ſi circumciſus fuerit, ſe nuptias ejus non averſaturam. Monachus autem ejus deſiderio & amore illi obſecutus, clanculum ablato præputio Judæus factus, illam duxit uxorem. Hoc vero reſciſcens Dominicanus ordo, infamia iſta vetus eorum in Judæos odium inflammante, Judæos ulciſci ſtudet. Cum autem Monachus ille vir ſummus Reginæ confeſſionarius eſſet; eunt omnes Monachi ad Reginam indicatum omnia confeſſionarii negotia, quemadmodum Judæi circumciſum illum ſacris ſuis initiaverint. Hoc audito Regina vehementer indignata, meditatur, qua ratione contumeliam iſtam a Judæis acceptam ultum iret. Turbata adit Regem, ſupplicem ſe abjicit, rem omnem enarrans petit, omnes Judæos regno ejici; ſed cum Rex Judæos ob ingentia, quæ ipſe & cives ex iis caperent commoda, amaret & æſtimaret, Reginæ preces aſſidue inſtantis diu repulit: publica regni ſui detrimenta ex Judæorum exilio identidem cau-

causatus. Videns Regina, parum se promovere, omnes purpuratos, qui in regia erant, subornat: ut illi rem eam Regi persuadeant. Purpurati, quamvis extra culpam Judæos esse scirent, Reginæ simultatem veriti, Regi Judæorum exilium inviti suadent hujuscemodi verbis: Non ita bene de Judæis existimandum est, o Rex, uti plane insontes atque innoxii esse videantur. Illi enim religionem nostram, omnesque adeo Christianos pessimè oderunt. Quin illud crudele statuunt: Vel optimum Christianorum occide. Et invidioso ænigmate ludentes: Mel esse comedendum, nec Christianum ejus esum esse docendum. Aliaque hujus generis complura dicunt. Respondet Rex: Non ista idonea exilii causa est, jam ante enim hæc controversia coram patre meo, inter quendam Episcopum & Judæorum sapientes agitata fuit, qui argute inquiebant; Forsan, quod scriptum in Thalmude est: Optimum Christianorum occide, sententiam hanc habet: Optimum est atque pulcherrimum inter Christianos ipsum illud Occide: id est, capitis supplicium, quo sontes afficiunt. Per illud enim populum timore incusso, ad legum obsequium, & magistratus reverentiam compellunt; salutari pravis vulgi moribus corrigendis severitate. Verum ex sententia legis Judæorum M. Haciba

Thal-

Thalmudista nimis quam dementer dixit: Si ego in Synedrio fuissem; nunquam occisus quisquam fuisset. Fieri enim posse, ipsum, quem homicida interemerit, jam lethali morbo quodam laborasse, aut malum ulcus intra viscera jam habuisse, cui alius ictus additus fuerit. Postremo purpurati inquiunt: Qui hujusmodi leges aut statuta habent, num misereri eorum oportet? Respondet Rex: Jampridem hoc quoque audivi, quemadmodum omnes Thalmudistæ illum refutaverint, dicentes: Si ita, ut dixit, Haciba fecisset, omnibus fenestram ad promiscua homicidia aperturum fuisse. Quod vero M. Haciba ineptius videtur locutus, mirum videri non debet, præsertim cum doctissimi quique nonnunquam ineptiant. Philosophorum princeps ecce Plato ait: Ejusdem opificii artifices suas mulieres debere inter se habere communes. Quæ certe res indignissima, plurima mala, tristissimas familiarum confusiones, turpissima probra, & promiscua stupra traheret. Quis autem hominum adeo certæ firmæque sapientiæ est, ut non aliquando erret, aut labatur? Tum purpurati inquiunt: Quid autem de illo mellis esu Christianis invidendo ais, o Rex? Respondet Rex: Memini audire me, ita Judæos sentire: Si vinum degustandum sit, primum eden-

dum esse mel, &, si vinum post mellis esum bibentem suaviter afficiat, vinum bonum esse. Christiani, eo audito, putabunt, illud fieri medicamenti causa; proinde Judæi ita præcipiunt: Ne doceas id Christianos, ne forte rideant, falsum atque ineptum id esse existimantes. Purpurati inquiunt: Nos vero audivimus, quod post esum mellis, vinum certo exploretur, an bonum sit & dignum, quod libetur Deo super aris suis; & vetuisse hanc vini explorandi rationem, doceri Christianos: ne illi simili ratione Christo suo litent, quo Judæi piaculum in se admittant, qui docuerint Christianos rationem, qua Christus rite coli possit. Tum Rex ait: Quid? adeone pueriliter imperiti sumus, ut jam primum cognoscamus, Judæos Deum nostrum, ac proinde ejus cultum repudiare? Tum unus ex consiliariis inquit: Ergone, o Rex, contemnere eos Christum, & ferre eos in regno tuo potes? Scriptum enim in Thalmude est; Christum esse damnatum &c. Rex ait illis: Hodie id verbum primum audio, vos vero quo tempore, aut quo die audivistis? Purpurati inquiunt: Multi sunt anni, ex quo audivimus illud, idque idoneis autoribus abunde nobis confirmatum est. Rex ait; Cur ergo

ergo id jam demum mihi dicitis? ſed nempe vos Regina ad dicendum hæc omnia impulit. Poſtridie reverſi adeo multa de Judæorum malitia Regi expoſuerunt, ut tandem eum impulerint ad promulgandum edictum; quo Judæos omnes intra trium menſium ſpatium regno ſuo excedere juberet: qui vero poſt præſtitutum illud tempus, in regno remanſiſſet, publicatis bonis, ferro perimendum eſſe. Præſtantes autem viri aliquot, quod monachum circumcidiſſent, palam exuſti fuerunt. Atque ſic Judæi relinquere ſedes ſuas, omneſque poſſeſſiones, ſubitoque univerſis regni finibus excedere coacti: cum nullum iis juſtum temporis ſpatium, nominibus exigendis, rebuſque componendis concederetur.

XXI. Anno quinquies milleſimo quadrageſimo ſexto, extitit crudelis Rex nomine Philippus, Philippi filius, qui omnes ex ſuo regno ejecit Judæos, valdeque ſe adverſus eos crudeliter geſſit, ereptis argento omni atque auro, mobilibus & immobilibus bonis, nudos & omnium rerum egentes expulit. Tantus vero tamq; innumerabilis in illis regnis propemodum Judæorum numerus fuit, ut altero tanto plures fuiſſe dixiſſes, quam olim ex Ægypto egreſſi ſunt. Quantum ad conciliabula illa attinet; ſapientia

& hominum numero inclyta ea fuerunt, ut ſcriptum reliquit ſapientiſſimus Magiſter noſter Levi Gerſonides in enarratione verſus hujus. Quis numeret pulverem Jacobi? Quam quidem enarrationem ſcripſit quindecim annis poſt hoc exilium. A Moſaïcis ſacris defecêre etiam nonnulli, ſed perquam pauci, quibus patria religione potior erat: ſed totum illud Judæorum conciliabulum, quod Toloſæ fuit, legem Moſaïcam deſeruit: Anni autem illius numerus continetur in hoc verſu Pſal. xxxiv: vers 1. ויגרשהו וילך Et ejecit eum & abiit. Illud autem exilium fuit menſe Ab, qui fere noſtro Julio reſpondet, die Chriſtianis Mariæ Magdalenæ ſacrato.

XXII. Ante exilium modo memoratum, anno quinquies milleſimo decimo quarto, fuit ibidem exilium non univerſale; ſed particulare, per aliquot tantum civitates: Cauſa exilii non conſtat: nota ejus anni eſt in verſu. Jud. cap. iv: vers 24. ותלך יד ישראל הלוך וקשה. Et perrexit manus Iſraëlis durior eſſe.

XXIII. Poſt hæc anno quinquies milleſimo quinquageſimo, fuit ibidem univerſale exilium, atrox certe & admodum dirum; cum enim Judæi jam ante in exilium acti, pretio ingentibuſque muneribus impetrato reditu, ab exilio revertiſſent, creatus Rex novus crudeliſſimus fuit: edixit enim; ſi Ju-

si Judæi religionem Christianam assumserint; commodissimè in regno suo acturos: sin minus, omnibus protinus ferro, sine ulla spe veniæ, pereundum esse. Dedit iis trium mensium spatium, ut interea causam meditarentur suam. Erat forte tum temporis ibidem vir quidam sapientissimus, Regi percharus, nomine Abugardan Delcadin; qui aliquoties apud Regem pro Judæis intercessit; sed frustra: cum audire Rex eum nollet, causatus, jam nunc populum contra Judæos coortum, extrema illis minitari, exilium ipsorum malis imminentibus remedium fore; ejici à se illos, quo sævientis populi furori tutò subduci possint.

XXIV. Eodem illo anno, quo Judæos omnes in exilium exegisset, profectus Philippus ipse venatum, in pernicissimum quendam cervum incidit, quem dum equo insidens, quam celerrime persequitur, forte in quandam scrobem cum equo collapsus, cervice perfractâ, extinguitur. Tum uno ore omnes dictitare: Crudelitatem, quam in Judæos exercuerat, tristissimi ejus fati causam fuisse: neque enim scrobem eam per se tantam videri, ut in eam corruens ita subito extingui potuerit. Sublato crudeli hoc patre Rege, successit filius, Rex mitissimus, æqui & justi amantissimus. Ille videns,

 quem

quem pater vitæ exitum habuisset, mittit legatum ad Judæos, qui nunciet; si velint, licere sanè liberè reverti in urbes suas; se enim illos, ut oculi sui pupillam conservaturum esse. Multi igitur patrii soli amore, in civitates suas reversi sunt, plerique enim Hispaniæ & Galliæ Reges, & qui dignitate, eruditione, aut nobilitate cæteris præstarent, amabant Judæos: nec ullius, nisi vulgi Judæis infestissimi, odia experiebantur. Alii vero dicebant: si Rex nos bono animo esse jubeat, & vulgus contra nos insurgat; quomodo confidere poterimus? præsertim cum antehac sæpe viderimus, quot exiliorum causa nobis fuerit vulgus. Quid enim juvat, si prosint Reges & principes, cum obsit vulgus: & isti nos bono animo esse jubeant, cum vulgus perpetuo calamitates nostras anhelet? Quin has, quas nunc habemus, sedes servamus, ne reversi novo exilio obnoxii simus. Post aliquot dies, mutato consilio, inquiunt: Agite, revertamur in terram patriam, quæ nos genuit: revocat Rex bonus, candidus, fidus, qui datam fidem fideliter servabit. Dant igitur se in viam, & dum in itinere sunt, latrones eos aggressi, omnibus spoliant. Quo audito, Rex, qui cognoscerent, misit; sed sceleris autores latuerunt. Tum Rex Judæis vestimenta & annuum

com-

commeatum ex ærario ſuo præſtari jubet: ipſo enim autore ſe in viam dederant. Qua viſa Regis clementia alacrius in urbes ſuas reverſi ſunt.

XXV. Septennio poſt denuo contra eos conjurantes Chriſtiani, rurſus Judæos ejiciunt; ſed Rex juſtiſſimus cum facultatibus divitiiſque illos dimiſit; addito militum præſidio, ne ſpoliarentur in itinere, quod tamen pleriſque parum profuit, cum agricolis & viatoribus paſſim prædæ eſſent.

XXVI. Ab orbe condito, anno quinquies milleſimo centeſimo ſexageſimo, graviſſima peſtilentia per utramque Germaniam, Provinciam, Catalauniam graſſata eſt; adeo, ut in nullis annalibus par, aut ſimilis memoretur, excepta peſtilentia illa, quæ Romæ & per finitima loca aliquando ſæviit: Quæ quidem tanta rabie exarſit, ut univerſum genus humanum abreptura videretur, uſque adeo hoc malum poſt hominum memoriam graviſſimum fuit. Nonnulli Chriſtianorum dictitabant: Judæos corruptis veneno fluviis tantam peſtilentiam excitaſſe. Quibus rumoribus populus commotus recta ad Regem properat, ingentique clamore rem totam, ut geſta erat, exponit. Rex num etiam ex Judæis aliqui peſtilentia intereant? rogat.

Reſpon-

Respondit populus, ex iis ne unum quidem adhuc periisse. Rex ait; si illi fluvialem aquam veneno infecerint, quam illi aquam bibunt? Fontanam inquiunt. Rex ait; At in reliquis locis, ubi fontana deficit, quam aquam bibunt? Hæc ego vobis ex mente vestra respondeo. Nam quod ad rem ipsam attinet, ex futili ista causa, pestilentia nasci nequit: quanta enim veneni vis in unum fluvium corrumpendum injicienda esset, quod tamen injectum omnes ejus undas inficere non posset; cum perpetuo flumine labantur amnes, novæ & integræ aquæ veteribus & corruptis succedant? quare in non stabili aqua stabile venenum esse non potest. Tum, qui veneno perit, nullo ulcere intumescit. Denique nunc ite & vos, bibite fontanam, experiemini, contagionem pestilentiæ evasuri sitis, nec ne? Cognita Regis sententia populus discessit, spei & voti sui irritus: viso autem Judæo, qui ipsis illuderet his verbis: Egregiam vero laudem & spolia ampla artibus istis vestris refertis; denuò animum obstinant ad accusandum; ex animi sui sententia inventos testes subornant, adsunt illi, testantur: vidisse se Judæos intempestâ nocte progressos, projecisse aliquid in fluvios, & verba aliquot incondita, nec intellecta sibi admurmurasse, & cum plures adessent,

adessent, qui idem testarentur, neque calumniari Judæos desinerent: tandem Rex victus ait; isti quidem dubio adhuc crimini satis supplicii exilii pœna erit. Tum populus contra: cum plurimos e nobis interfecerint Christianos, itane impune discedent? Qui divitiis ex sanguine civium tuorum partis abundent, quas per iniquissimam usuram nobis extortas possident. Quin eos religionem suam, aut vitam relinquere jube. Istam populi vocem, mutandam inquam religionem esse, calculo suo comprobare consiliarii. Mox generalibus per universas Germaniæ & Provinciæ terras edictis promulgatis, Judæi avita sacra deserere jubentur. Tum vero tanta miseria & calamitas extitit; ut nulla major esse potuerit: attamen Germani Judæi non defecerunt a Dei optimi maximi cultu, ejusque lege, memores pristini decoris & famæ.

XXVII. Anno quinquies millesimo centesimo quinquagesimo, generalia edicta per pleramque Hispaniam promulgata sunt contra omnes Judæos, imprimis illos, qui sapientia & numero reliquis præcellebant. Subito enim tumultu concitati Hispani Judæis necem, facultatumque direptionem minitabantur, nisi a Mosaïca

lege extemplo defcifcerent. Multi, qui dignitate cæteros anteirent, animæ fuæ faluti confulentes, a lege avelli non potuerunt, parati omnia perpeti, quæcunque in ipfos, legem, in legis autorem, ejufque gloriam ftatuerentur. Multi igitur propter Dei cultum interemti funt. Eodem modo cum Judæis actum eft in regnis Arragoniæ, Valenciæ; Majorcæ, Barcelonæ & Leridæ. In illis locis pars illorum à lege defecit, calamitatum terrorumque, quibus divexabantur, pertæfa. Bona tamen Ifraëlis pars, fpretis malorum minis, ne ad fimulandum quidem Deaftrorum cultum cogi potuit. In Chriftiana facra vi & minis compulfi; quo faluti animæ confulerent, voluntarium fibi exilium & errores, per inimicas & hoftiles terras, indixere, donec fedes colendis fuis facris liberas & tutas inveniffent, quorum piis confiliis propitius adfuit Deus. Verum illi, qui Arabiam peterent, tranfiverunt in itinere loca peftilentia infefta, ubi tam dura & triftia perpeffi, ut fando ea nemo affequi poffit, quemadmodum illi amicis fuis, qui in Hifpaniarum regnis remanferant, perfcripfère; præcipuè a rufticis, qui eos invaferant, hoc nomine, quod profugerent in alias oras, obfervatum legem Mofaïcam: hinc catenis conftrictos affervavêre, donec res ea ad Regem

gem deferretur. Pars ſalutem peculio boniſque omnibus traditis redemit ab iis,qui ipſos perſequebantur. Alii longo malorum tædio victi, dixere; legamus nobis ducem aliquem, cujus ductu atque auſpiciis, unde digreſſi, redeamus. Quo fidem inveniat oraculum hoc, quod de nobis pronunciatum ſcimus: Levit. cap. xxvj: vers 30. Peribitis inter gentes, & hoſtilis vos terra conſumet.

XXVIII. In Græciæ urbibus, quemadmodum a veteribus accepimus, promulgatum fuit edictum a Rege, quo Judæi a lege ſua deficere jubebantur, verum omnes ad unum conſtanter in cultu Dei perſeverarunt. Rex edicto hoc ſe nihil promovere videns, conſilium aliud, quo eos cogat, capit. Igitur illos domibus ſuis rus expellit, ubi nec cibi, nec potus ulla copia eſſet; ſed omnes tridui inediam fortiter ferunt, præter infantes & pueros; qui inediæ impatientes a parentibus ad Græcos, explendæ fami, & ſiti levandæ confugiunt. Rex vero videns Judæos in ſacra ſua cogi non poſſe; ſed in avitis ſacris conſtantiſſime perſtare, eorum miſeretur, & ut vulgus placaret, novis edictis promulgatis, eos Conſtantinopoli excedere, & adverſum illi oppidum Peram habitare jubet. Et ex ijs quoſdam, interdictis reliquis opificiis, exſtruere ad mare taber-

nas concinnandis coriis aptas, coriarios esse præcipit. Quanquam necessitudinem istam exercendi opificii coriarii alio edicto, tempore, & causâ iis impositam esse, nonnulli tradidêre.


XXIX. Tempore optimi Regis Alphonsi majoris, aliqui ex Christianis judices adeunt, dicentes: vidisse se Christianum quempiam pridie Paschatis Judæi ædes ingressum, quem mox miserabili voce clamantem audiverint; opem, opem, Christiani! Judices missis, qui Judæi istius ædes perscrutarentur, cum neminem apud eum invenissent Christianum, inquiunt: Ejusdem criminis proximo anno accusati fuêre Judæi, quod postea falsum fuisse compertum est. Vos vero ineptissimi accusatores, quid paratis ficta & falsa crimina ingerere, iisque miseros atque innocentes indignissimis modis circumvenire? Tum populus gemens fremensque exclamat: Quid ipse ille judex, jus dicere neget? quin Regem adimus omnes; qui causæ nostræ patrocinetur, nobisque jus dicat. Ad Regem veniunt, rem totam exponunt ordine. Rex inquit, adducite mihi Judæum, illi adducunt: adductum de Christiani illius cæde Rex interrogat. Respondet Judæus, Dii meliora! Egone domi meæ Christianum occiderim, cujus domum

mum per hosce dies nemo Christianorum est ingressus? Tum Rex ad accusatores conversus ait: Quin ipsi vos cædis illius, si qua facta est, tenemini, qui hominem Christianum Christianorum opem miserabili & notâ voce implorantem, effractis Judæi foribus, ex instantis percussoris manibus, per vim non eripueritis. Respondent illi; metuebamus, ne mulcta nobis, ob effractas ædes alienas, a judice irrogaretur. Hic Judæus regerit: at cum ante decem dies, servus quispiam fugitivus, in domum meam sese abdens, fores pone clausisset, effringere eas in re multo leviori non dubitastis; quæ etiamnum fractæ & laceræ audaces vestras manus ostentant. Eunt illi visere, re comperta conticescunt; & actionem contra Judæum intermittunt. Tum Rex purpuratos compellans ait: Num verisimile fit, Judæum hunc senectute decrepitâ adeo viribus exhaustum, ut vix pulicem unum interficere valeat, interficere Christianos? Sed ista accusatorum malignitas est; digna, quæ severâ aliquâ poenâ expietur: ad eosque conversus ait: scelerati atque mendaces ne aliud istiusmodi crimen posthac ad me deferte, neque enim commissa simili poena luetis. Postridie congressi

ad Regem redeunt, multos ſe facinoris teſtes, probabileſque admodum conjecturas habere. Rex vero, quandoquidem ita inſtatis, inquit, res cognoſcenda diligenter eſt. Vocari igitur ſcribam ſuum jubet, qui ubi venit, nomen Judæi, ſignumq; ædium ejus, quas habitaret, tabulis conſignat: Regi nomen Chriſtiani quærenti ex iis, qui ſe eum noſſe dixerant, reſpondetur Petrum Guzmanum vocari: uxori nomen eſſe Beatrici, eam Epiſcopo famulari, denique in qua via habitet indicatur. Corporis formam inquirenti ajunt, fuiſſe ſtatura exigua, capillitio rufo, barba dividua, captum altero òculo. Tum Rex Guzmani uxorem vocari jubet, advocatam percontatur de marito; illa narrat, abiiſſe maritum ad Judæum quendam nomina exactum, necdum rediiſſe domum. Deinde Rex adoleſcentium teſtimonia audit, qui inquiunt; Chriſtianum illum, qui notis atque indiciis iſtis deſcriptus eſt, familiariter nobis notum, adſtantem ad fores Judæi illius invenimus: cauſam quamobrem illic adſtaret quærentibus reſpondet, expectare ſe Judæum, ut æs, quod ſibi deberetur, a Judæo exigeret. Dumq; colloquimur, intervenit Judæus, qui Chriſtianum una ſecum in interiorem domum abducit. Continuo exclamantem audimus, opem, opem, populares! Ad quam vocem

nos

nos per fenestram irrumpentes, Judæi ædes scrutamur, Christianum quidem neminem; sed pavimentum multo sanguine madens invenimus. Rex ait: adeo certas mihi istas conjecturas narratis, ut merito reus tormentis subjici posse videatur. Judæum igitur vinciunt, rem extorquent, fatetur ille: se cædem fecisse, atque noctu cadaver in fluvium projecisse. Quâ confessione auditâ, rogo damnatur exurendus. Dum tristis hæc de Judæi capite pronunciatur sententia, forte interveniens Episcopus recitari eam audit, percunctatur, quem interfecit Judæus, Guzmanusne est, maritus ille Beatricis, an alius quispiam? Illis Beatricis maritum esse confirmantibus, Episcopus ait: rem miram! Sententia habet, Guzmanum a Judæo occisum pridie Paschatis Judaïci; qui dies nobis incidit in dominicum diem, Lætare appellatum, quem ego heri hisce oculis vivum valentemque vidi in pago quodam suburbano, atque adeo, aut hodierno, aut ad summum crastino die hic aderit. Rex ait: Certé Judæum aut insanire, aut furere oportet, qui ea fateatur, quæ non fecerit. Tum Episcopus Regi; Tormenta & principum facta nec religionem habent; nec fidem merentur. Hic Judæus inquit: Nec insanio, o Rex, nec insanivi unquam; sed confusam mihi mentem eripuit tormentorum acerbitas.



acerbitas. Tanta enim, tamque inexorabilis est Christianorum inclementia, ut crudelius me, quam perduellionis reum aliquem torserint. Et cum semel immaniter torto nova identidem tormentorum genera admoverent; malui semel unâ morte defungi, quam tot crudeles & lentas tormentorum mortes pati. Rex continuo duos è ministris mittit, qui Guzmanum quærant, et inventum adducant: adjungens iis comitem Judæum aliquem, ne forte ministri ab accusatoribus auro corrupti, Guzmanum occulerent. Adducitur Guzmanus ad Regem, qui surgens exclamat: Laus Deo, qui operta recludit: Laus judiciorum præsidi & præstiti Deo. Quid sapientissimus Deus, stultissimos nos pro tribunali sedere, & gentibus jus dicere jussit, qui veluti pecora verum ignorantes, temere in errorum scopulos deferimur? Memoriæ proditum est: Græcos olim infantium natales lacrymis, senum funera gaudio prosequi solitos fuisse. Vidit scilicet sapientissima gens, nascentem primum hominem, qui ad rerum lacrymas victurus venisset, deflendum esse; congratulandum morienti, qui defunctus humanæ vitæ miseriis, ad lætas æternumque beatas sedes abiret. At Judæos, non natales modo suorum & funera; sed universum calamitosæ vitæ curriculum lugere oportet: quos quasi calamitatum

tatum parum ipsis fatale suum exilium adferret, falsis etiam criminibus accusatos certatim evertere connitimur. Ego certè illos, non quia Judæos; sed quia miseros abjectosque ex animo miseror: Exemplum secutus summi Regum, cujus divino munere nos regnamus, cujusque vicem sustinemus in terris, qui de se ipse per vatem suum oraculum hoc pronunciavit: Esaiæ c. lxvi: v. 2. Sed in hunc intueor, in pauperem & contritum Spiritu, ac trepidantem ad verbum meum. Tibi vero sanctissime Antistes, magnas merito gratias habeo atque ago, qui opportuno tuo interventu prohibueris, ne insontis hominis sanguinem imprudens funderem. Non herclè sine Deo, iniquo isti supplicio tam opportune intercessisti. Cui Antistes, imo aliud multoq; etiam majus munus est, o Rex, quo te mactavit divina benignitas; quod ipse jam coram expertus certissimo documento didiceris, confessioni expressæ per tormenta nullam fidem tutò haberi posse. Ecce miserrimus ille Judæus, diris tormentorum cruciatibus victus, interemtum a se Christianum illum fassus dudum est: quem tamen jam vivum hic spirantemque adstare videmus. Laus immortali Deo, qui justos & pios Reges, in quibus & tu es, dirigit: idem ille te ęternum Numine suo regat: hoc ex animo opto voveoque: annue, o Rex Regum.

XXX. Anno quater millesimo nongentesimo sexto, generalia & gravia edicta per omnem Africam minorem, totumque Orientem promulgata fuerunt, contra omnia Judæorum conciliabula, quæ per illas terras numero & morum virtutibus plurimum tum valebant. Idque adeo, quo Rex Judæos Mosaïca sacra deserere, & Muhammedana sequi cogeret. Quibus hercle edictis id effecit, ut omnia conciliabula, quæ in regno suo essent, in sacra sua pertraxerit. Per ea tempora fugit Moses Meimonides Zohanam Ægypti regiam, quæ nunc Alcaira appellatur: Ubi apud Sultanum reliquam vitam felix egit. Medicus enim Sultano salutis custos assumtus, in luce atque oculis hominum, charus acceptusque omnibus agitavit, propter immensam rerum scientiam, cunctis Orientis sapientibus ab ipso Sultano, ejusque purpuratis meritò prælatus. Tum celebrem illam epistolam, quæ MERIDIONALIS EPISTOLA inscribitur, conscripsit; qua monet atq; hortatur reliqua conciliabula ad constantem Legis Mosaïcæ cultum, confirmans ea, spe atq; fiduciâ jamjam ad futuræ liberationis, quam utinam propediem videamus!

XXXI. Septennio ante memorata jam edicta, gravissima mala Israël passus, impii cujusdam hominis scelere, qui se falso Messiam tulit. Rex enim

enim & regni proceres gravissimè Judæis irati, dictabant; Judæos, dum Messiam suum expetunt, regni exitium expetere. Diro isti impostori nomen David Eldavid, patria urbs Amadia erat, ubi magnum conciliabulum mille circiter familiarum, dives, potens, celebre, florebat. Primum illud conciliabulum est eorum, quæ amplius centum, flumen Sabbathionem accolunt, in finibus Mediæ, linguâ utuntur Chaldæâ, indeque ad provinciam Gulanam est iter quinquaginta dierum, parent Persæ Regis imperio, cui quotannis tributum pendunt, singulos aureos singuli, qui quintum decimum ætatis annum excessere. David iste Eldavid operam dederat exulum principi Chasdæo, & viro cuipiam summo Academiæ Bagdadensis rectori, qui Thalmudicæ doctrinæ, liberaliumque artium peritissimus, & in Magorum, præstigiatorum & Chaldæorum libris versatissimus erat; Iste igitur Eldavid audacissimi & superbissimi animi vir, in Regem insurgere ausus, Judæos, qui montem Haphtan incolebant, oratione impellit, ut arma sumant in omnes gentes. Et quo apud credulos inveniat fidem, nova quædam monstra & prodigia edit. Ad quæ stupentes, pars Magum & præstigiatorem; alii virum verè divinum appellant, qui cœlesti plane virtute miranda illa patret. Qui

illum ſequuntur, Meſſiam vocant, laudibus ad cœlum ferunt. Rex Perſarum, auditô, quantis ſucceſſibus, quantas copias collegerit, iiſque ſibi jam imminere videns, non leviter perculſus legatum mittit; rogat, ut quam fidentiſſimè ad ſe veniat, ſe velle videre, quæ ederet prodigia, quæ ſi vera ſint, ut feruntur, non dubitare, quin ipſe verus Meſſias eſſet; compertoque illum a Deo Regem creatum, ſe ultro illi faſces ſubmiſſurum, atque imperata omnia facturum eſſe: Velle hoc Deum, qui regnum illi detulerit. Ille intrepidus Regem adit, rogat Rex, tune verus Meſſias es? Reſpondet ille; Ego vero ſum, ad liberandum Iſraëlem, a Deo miſſus. Tum Rex; Ego te in vincula duci jubebo, quibus ſi te liberaveris, tu mihi verus Meſſias eris: Sin minus, ſtultitiæ tuæ ſupplicium perpetua vincula erunt, neque enim ſtultum te interficiam. Capto jam & in vincula conjecto Davide, Rex regni proceres & conſiliarios convocat, ſententiam rogans: quid de Judæis, qui peccaſſent & regno rebellaſſent, fieri placeret? Dum illi deliberant, ecce nuncius adfertur, ruptis vinculis è carcere profugiſſe Davidem; nec quenquam ſcire, quo evaſerit. Quo auditô, Rex expeditos aliquot equites & principes mittit, qui è fuga reprenſum reducant. Illi abeunt, redeunt,

redeunt, nunciant, propè flumen vocem ejus auditam, ipsum nusquam visum, comprehendi non potuisse. Rex fraudem suspicatus, aut corruptos auro dimisisse eum, aut turpi ignavia cessantes, non assecutos fuisse, celeriter conscensis equis, ipse cum ministris & purpuratis suis eum persequitur, ad flumen veniunt, nusquam Davidem vident, ille nomine ipsum vocantibus respondet: o stulti! ego iter meum pergo, vos, si quid animi aut virium est, consequimini. Tum ipse expanso per flumen Gosan pallio, siccus transit. Ita transeuntem videns Rex cum famulis suïs, inquit: Istud quidem nemo potest, præter unum illum, quem Regem creavit Rex ille universi Deus, hunc & nos certè Regem agnoscere debemus. Tum Regi ministri omnes & purpurati: Non illa Regem a Deo creatum; sed meras incantationes atque præstigias arguere videntur. Rex continuo actuariam navim adduci, flumenque trajici jubet, trajiciunt equites expediti complures, persequuntur, nec assequuntur; qui uno illo die decem dierum iter confecisset. Rex, quia hac parum processit, aliâ rem aggreditur viâ, ad Judaïcæ gentis principes, quæ tota in misero exilio agit, legatos mittit, imperat captum Davidem sibi sistant; nisi pareant, Judæis omnibus, pueris pariter ac senibus cer-

tiſſimam necem, gentis principibus poſt crudelia tormenta, etiam ſingulis lenti ignis ſupplicium minatus. Per literas quoque monet Emir Elmuhadin, qui Bagdadi habitabat, omnem in hac re navaret operam, & ſupplicii metu Judæorum principes territans, ad comprehendendum Davidem excitaret. Conveniunt exilii Judaïci principes, miſſis legatis, Davidem furere aliquando deſinat, ſerio admonent, id enim ex ipſius & Judæorum omnium re futurum, qui unius ob furias, in maximo vitæ periculo verſarentur: niſi deſinat, in hac & futura vita æternum deteſtabilem fore. Per literas quoque monent ſummum Judæorum principem Zachæum, & Aſtronomum Magiſtrum Joſephum Bachranum, qui in Aſſyria erant; ſerio flagitantes, ut illi ſuo nomine ad Davidem ſcribant, eumque a furore ſuo diligenter dehortentur, graviſſimis enim gentem ſuam malis premi, & niſi laborantibus ſuccurrat benigniſſimus Deus, rem deſperatam eſſe. Scribunt omnes certatim ad Davidem, ſerio monent atque hortantur, ſcelerata & infelicia conſilia omittat, ad frugem & obſequium redeat. Ille acceptas & lectas eorum literas ridens atque eludens, preces minaſque omnes ſecurus contemnit. Sed ecce magnus ille humani generis miſerator Deus,

op-

opportune excitat Turciæ quendam Regem, cui Zaido Alladino nomen erat, vectigalem Persarum Regi, Judæorum amicum summum. Hic socerum Davidis, jam multo ante sibi notum his vocibus compellat: Scis utique, quantum universæ genti tuæ ab irato Persarum Rege immineat periculum; tuum est, qui potes, te, gentemque tuam malo isti fortiter eripere: audenti decies mille aureos facinoris præmium dabunt Judæi, & ne forte de fide eorum dubites, ego pro illis spondeo, a quo libere illos petas, si obtruncaveris sceleratum istum hominem, qui tot innoxias animas, præsentissimo vitæ periculo, furore suo involverit. Denique ipse ille virtutum munerator Deus, præmia reddet debita, qui innocentissimam gentem fortitudine tua servaveris. Socer liberandæ gentis suæ spe, tantique propositi præmii amore inductus, conditionem accipit, & patrandi facinoris occasionem captat. Proximâ statim vespera Davidem generum ad cœnam vocat, inebriat, intempesta nocte ex nimiis poculis altum stertentem adortus obtruncat; abscissumque humeris caput Regi Zaido Alladino tradit. Ille viso Davidis capite ait: Redit ad autorem scelus, tute tibi istius mali autor es. Tum Alladinus Davidis caput ad Regem Persarum mittit, adjun-

adjunctis idoneis testibus, qui confirment, Messiæ illud caput esse, quem ad necem ipse depoposcerit. Ita Regis quidem ira, quam in Davidem conceperat, resedit; sed tamen Judæos omnes, ipsum secutos, ulcisci voluit. Postulat itaque tradi sibi a conciliabulis omnibus eos, qui scelerata perditissimi hominis consilia & arma essent secuti: illa vero, qui aut ubi illi sint, scire se negant. Rex responso illo efferatus, omnes promiscue Judæos ferociter comprehendi, & in carceres compingi jubet. Illi per lectos de numero suo arbitros, ingenti pecunia pacti, a Rege centum auri talentis incolumitatem redimunt. Moses Meimonides tradit: Interroganti Regi Davidem, num Messias ille esset? Se vero esse affirmantem, cum ejusce rei certum aliquod signum Rex posceret, respondisse: caput sibi præcidi Rex jubeat, se revicturum tamen. Tum Regem caput illi auferri jussisse, illum serio mortuum esse. Fama est, arte istâ usum, quo exquisitissimos tormentorum cruciatus, quos instare videbat, evitaret. Nonnulli quoque imperiti avidissimè diu expectavere, quam mox revivisceret; sed vecors iste nondum etiam revixit.

Ipse ego Salomo filius Virgæ hujus libri autor, Meimonidem scripsisse comperi, sub ipsa Saracenici regni initia, extitisse virum quendam ultra Euphratem

tem flumen, qui ſe Meſſiam eſſe diceret. Hujus inſanis conſiliis Judæi denuo infandis malis jactati, decies mille numero Legem Moſaïcam deſerunt. Hoc autem, quo ſe verum Meſſiam probaret, argumentum dedit; Elephantiacus veſperi obdormivit, mane ſanus atque integer evigilavit. Tandem ille quoq; dignum moribus ſuis, vitæ exitum inveniens, Judæis nil præter vetus exilium, omniumque gentium odium reliquit. Alius itidem per Occidentem in Pheſſano regno Meſſiam ſe tulit; unde nova malorum Judæis incubuit cohors. Decem annis ante iſtum alius etiam Meſſias in regno Cordubenſi prodiit, qui furore ſuo miſeras Judæorum reliquias propemodum perdidit. Alius etiam in Gallia, cujus culpâ plurima conciliabula deleta ſunt. Alius præterea temporibus Magiſtri Salomonis Adreti filii fuit, quemadmodum ille in quæſtionibus ſuis ſcriptum reliquit.

XXXII. Extitit aliquando in regno Perſico Judæus quiſpiam, qui ſe Meſſiam ſimulavit, & proſperis rerum ſucceſſibus uſus, magnam & validam Judæorum manum coëgit; cum qua eum adventare Rex intelligens, prælio ſecum decernere paratum, Judæis omnibus, qui in regno ſuo eſſent, ſubito convocatis comminatus inquit: Niſi hominem iſtum ab inferendo mihi bello revocetis; vos una cum liberis

& conjugibus vestris universos uno delebo die. Conveniens populus Judæus virum illum adit, supplex pedibus ejus advolvitur, multo cum gemitu & lacrymis obtestans, ut a proposito suo periculoso magis, quam necessario dimoveri se pateretur, nec obstinatis animis se miseramque gentem perditum iret; Regem enim jam in totius gentis excidium jurasse; quo tandem animo popularium cœtuum, qui in tota Perside essent, internecionem ferre posset. Respondet ille: adsum ego vos ut servem, ipsi servari non vultis? Quem metuitis miseri? Quis vel aspectum meum sustinebit? Persarum vobis Rex formidolosus est, quem vel solâ nominis mei famâ, ad primum armorum meorum strepitum exanimatum fugabo? Interrogantibus: Quo tandem signo aut monstro se Messiam esse probaret? Prosperis rerum successibus ait; neque aliis argumentis ad faciendam fidem Messiæ opus esse. Respondent Judæi: Multi idem, quod tu, tentarunt; sed infelici omnes eventu. Quibus ille verbis vehementer irritatus, ferociter eos repellit. Postero die, quem inediæ & supplicationi dicaverant, revertuntur, tendentes illi parvos suos liberos, ut horum miserabili aspectu durum hominis animum facilius flecterent. Tum conspectis parvulis, horum, inquit, misertus, ea lege Regi bellum

remitto:

remitto: si sumtus, quos in apparando bello feci, mihi reddat, copias meas sine ullo ejus regni damno reducam. Tum Judæi; quid autem, potentissimus Regum eò se abjiciat, ut tibi homini Judæo belli impensas restituat? Hîc execrabilis & falsus ille Messias, cavete istud verbum posthac ex vobis audiam; alioqui licet redditis sumptibus, etiam dimidium regni mihi Rex dederit, placari me non sinam. Illi obstinatissimum ejus animum nullis rationibus mitigari posse videntes, mœsti & flentes ad Regem redeunt, dicentes: Qui ambitionis vento inflatus, o Rex, cupidine regni præceps fertur, nec lege ullâ, nec ratione a furore retineri potest; quo minus more suo præceps eat. Nos hominem istum fatali quadam vecordia regnum affectare cognovimus, nec utilia orantes, nec monentes salutaria audit, periculorum omnium atque suæ pariter ac nostræ vitæ securus. Prorsus dum sibi regnum paret, nihil pensi habet: nos certe extra sceleris culpam sumus, quamobrem miramur merito omnes, Regem tanti fecisse insani hominis verba, ut ea ad animum revocarit. Si sinas hominem suum furere furorem, ultro ille per se peribit; quia ficta falsaque omnia, quibus verum non subest, ut arbores succisis radicibus, ruunt. Adhibuimus homini orationem, vel durissimis saxis

movendis aptam ; nec tamen rigidum animum flectere potuimus. Perstat ille immotus in vecordia sua, dictitans: Tum demum se copias suas reducturum esse, cum apparati belli sumtus ipsi restitueris. Quæ vel sola vox hominis insaniam abunde arguit. Tum Rex: Quid? insanumne vos eum appellatis, qui cum certa victoriæ spe, omnes suas facultates apparando bello insumserit; nunc ubi inopi atque exhausto reducendus exercitus est, ista arte nummorum aliquantulum corradere studet? Proinde maturate, ad virum revertimini nunciaturi, conditiones placere, laturum, quæ petiverit. Mittat tuto & fidenter virum aliquem cum expensarum tabulis, me eas bona fide extemplo renumeraturum. Mittit ille tabulas, Rex pecuniam annumerat. Judæo illo digresso, belloque composito, Rex continuo convocatis omnibus in regno suo Judæis ait: Unus vestrum mihi bellum intulit, vestro omnium, ut audio, consensu, nec sperastis miseri, fore, ut in vos cuderetur faba. Respondent Judæi ea, quæ purgandis sibi sufficere videbantur; sed frustra, infenso jamdudum Rege; qui ferociter ad Judæos: Quin vos illicò jam mihi expensas meas reddite; postea

ſtea de vobis ſtatuam, quæ viſum erit. Illi cum verbis Regem placare inſtarent; Rex Judæorum primates duriſſimis vinculis conſtrictos in teterrimum carcerem abripi jubet. Vinculorum tædio, & carceris ſqualore fatigantur, donec ſummam illam exſolvant; complures, quo imperatam pecuniæ ſummam conficerent, liberos ſuos in ſervitutem vendunt. Poſtquam, quæ Rex petiverat, dediſſent, inquit ille: Pro iſta inſigni contumelia, quam mihi dediſtis, hanc a me accipite: Ambulabitis Judæi toto corpore nudi, ſola verenda femorum tenus tecti. Memorat Joſephus filius Virgæ ſe ex ſummo quodam Magiſtro Moſe Hamone audiviſſe; damnatos a Rege eſſe, ut grave & craſſum lignum a collo revinctum traherent; publici opprobrii cauſa, quamobrem nunquam, niſi cum magno omnium ludibrio prodibant, aliis lignum illud pone ſublatum, per ludum & jocum, ante pedes ipſorum projicientibus: aliis illud ferociter retrahentibus; aliis eos crudeliter percutientibus. Poſtremo riſus & ludibrii materies obviis omnibus erant, quibus ubique promiſcue in viis, in foris impunè certatim illuderetur.

Colloquium incidit inter Hiſpaniæ Regem Petrum majorem, & Sapientem Nicolaum Valenti-

num, Nicolaus Regem bellum meditantem hujuſcemodi oratione compellat: Audio, o Rex, bellum parare te in Chriſtiani nominis hoſtes, quos infideles vocamus. Quid vero attinet, foris hoſtes quærere, cum domi eos habeas, Judæos, inquam, infeſtiſſimam gentem nomini Chriſtiano? Scriptum enim in eorum libris eſt; Grande nefas eſſe, vel ſalutare hominem Chriſtianum. Atque adeo ipſe virum quendam, qui illos ſatis pernorat, memorantem audivi, dictitare Judæos: Solâ mediâ ſalutatione bonâ Chriſtianos dignandos eſſe. Quæ verba ſententiam hanc habent: Quando eminus adventantem Chriſtianum videt Judæus, in hunc modum illi ſecum tacitè imprecetur. Ut te quidem Dii Deæque, quantum eſt, Chriſtiane, adventantem perduint! Cominus congreſſum comiter & blande ſalutans, ſalvere eum jubeat, longam & felicem vitam, omniaque optata ex animi ſententiâ illi apprecans. Digredientem hac tacitâ deteſtatione proſequatur: Abi in malam rem male, & ut nefario Coracho ima tibi terra dehiſcat: & ut impium Pharaonem fluctibus ſuis obrutum hauriat mare. Interroganti Regi: num ipſe auribus ſuis audiviſſet? Nicolaus inquit: Ego vero ex Judæo quodam qui ad Chriſtiana ſacra converſus eſt, hæc audivi.

Rex

Rex ait: istiusmodi hominibus, qui religionem mutant, nulla habenda est fides: Qui enim religionem mutat, facile mutat & fidem. Præterea odium, quo quisque aliena sacra prosequi solet, non tam a ratione, quam pravo vulgi more est: Dum nemo sacra sua amare se posse credit, nisi primum oderit aliena. Respondit Nicolaus: Nihil me magis movet, o Rex, quam insignis eorum impudentia; qui dicere audeant: Religionem tuam falsam esse. Tum Rex, quô verum cognosceret, vocatô sapiente Judæô, quod tibi nomen, o sapiens, inquit? Illi Ephraimum Sanchi filium vocari se respondenti, Rex ait: Tu quidem mihi ex Judæô & Christianô compositus videris: Prima enim nominis tui vox Hebræa Ephraim, quæ totius nominis fundamentum est, arguit te inferiori corporis parte Judæum; ultima nominis tui vox Christiana Sanchus, superiori te Christianum esse ostendit. Judæus inquit: Sancho, o Rex familiæ nostræ nomen est, idem prorsus quod Sanzi, & illud ex hoc vulgi errore natum est. Cui Rex; num me filiæ tuæ nuptias ambire existimas, qui mihi genus tuum ab avis usque ad atavos tam ambitiosê proferas? Respondet Judæus, Sanchi cognomen addidi, o Rex, quô nomen meum ab aliis compluribus Ephraimis,

qui

qui mihi cognomines ſunt, diſcernerem: Et cùm nomen meum, ut me cognoſceres, rogares, diſſimulandum minime videbatur. Subjicit Rex: nos quidem miſſa hæc faciamus, & quamobrem te huc vocari juſſerim, expediamus. Scire expeto, utra religio melior ſit, noſtrane Chriſtianorum, an veſtra Judæorum? Sapiens ait: Noſtra quidem nobis melior religio eſt, qui olim duram ſervitutem in Ægypto ſervierimus, unde ingentibus prodigiis & monſtris editis, potenti Dei manu erepti ſumus. Sed vobis veſtra melior eſt; qui præter religionis libertatem, ampliſſimi imperii majeſtatem habetis. Rex inquit: Ego vero te de bonitate utriuſque religionis per ſe conſiderata, non ratione eorum, qui eas colunt, interrogatum volo. Cui Sapiens: tridui ſpatium ad meditandum reſponſum, ſi clementiæ tuæ viſum fuerit, concedi mihi velim: petenti Rex annuit. Poſt triduum Sapiens ad Regem revertitur, iram atque dolorem vultu ſimulans. Rex rogat, quid triſtem video? Reſpondet ille: Quid triſtis ego ſim, rogas, o Rex? qui hodie tam inſignem injuriam, præter jus faſque, acceperim; quæſo innocentis cauſam benignus audi, eamque pro prudentia tua ex æquo & bono diſcepta. Vicinus meus ante menſis ſpatium peregre profecturus,
utri-

utrique filio ſuo, quo abſentis patris deſiderium æquiore animo ferrent, pretioſiſſimam gemmam dedit. Veniunt modo ad me uterque frater, utriuſque gemmæ pretium, & utra alteri præſtet, rogant. Reſpondeo: Nemo id certius ſcit parente veſtro; qui peritiſſimus gemmarius gemmarum formas & figuras ex vero deſtinguere & æſtimare novit: mittite, qui eum conſulat, ille vobis verum gemmarum pretium dicet. Bono hoc conſilio mali iſti exacerbati, convicia oggerunt, verbera ingerunt. Rex inquit; indignis te accepere modis, digniſſimi, qui pœnas dent. Hic tum Sapiens; vide, quid dicas, o Rex, ne tuo te jugules gladio. Eſavus & Jacobus fratres ſunt, utrique gemma data eſt. Hic tu me rogas, o Rex, utra alteri præſtet? Ego vero ad patrem noſtrum cœleſtem, magnum illum gemmarium, mittendum cenſeo; qui gemmarum diſcrimen & pretium certo indicabit. Rex ad Nicolaum converſus, ecquid agnoſcis, Nicolae, inquit, ſolertiam & acumen Judaicum? Certe hic ſapiens, veri præmium, munera & gloriam; tu falſi pœnam, infamiam & mulctam habebis; qui audaciſſimè Judæos calumniari ſuſtineas. Nicolaus inquit: Si laudatiſſimo more atq; exemplo, ſanctiſſimi quiq; Reges alienas ſemper religiones ſubjecere ſuæ, quidni &

tu iſtam Judæorum ſubjicis tuæ? Rex contra: Nulla unquam violenta aut coacta, diuturna aut proſpera ſunt. Simulac enim metus abeſt, quiſque ad ingenium redit: ut lapis vi manus ſubjectus in ſublime, fertur quidem ſurſum; ſed ceſſante vi illa, mox naturali gravitate in terram ſuam recidit: & ut venti terræ viſceribus incluſi & arctati voragine facta erumpunt, & mox in aerem ſuum redeunt. Quamobrem ego tibi, Nicolae, autor ſim; ne populum illum vi & minis in ſacra noſtra invitum trahas; ſed potius rationum & argumentorum pondere, tum benigna admonitione, atque fideli inſtitutione; denique perpetuis hortationibus volentes ducas. Si enim gutta mollis continuo lapſu duriſſimum marmor cavat; quanto magis perpetuo benigna lingua molles animos moveat & evincat? Memoriæ proditum eſt; Sapientem quendam, cum filios ſuos vitæ ſuæ modum docere vellet, cœnam ex mollibus & duris linguis apparaſſe. Et cum jam accumbentes filii, rejectis omnes duris linguis ſolas molles peterent; tum pater inquit: Utinam vero, filii mei, in familiari vita idem ſemper faciatis, duris molles linguas præferentes, quam felix, quamque optata vitæ conditio vobis perpetuo futura ſit! Nicolaus inquit: nec iſta ratione promovebimus hilum;

lum; gens ista rationi & consilio adversa, aspidis ingenium habet; quæ senescens altera aure surdescit, & incantatorem venientem fugiens, alteram aurem pulvere opplet, ne incantantis carmen audiat, David enim inquit. Psal. lviii: v. 5. Sicuti aspis surda obturat aurem suam. Insigne contumacissimi animi exemplum edidere postrema Hierosolymorum obsidione, quâ urbs ipsa cum universa gente excisa est. Ubi nec instantis periculi magnitudine, quod solo obsequio evitare poterant; nec sapientissima summi & patriæ salutis amantissimi viri oratione ad saluberrima sanioris mentis consilia flecti potuêre; ut paret ex literis, quas ipse Titus, Romani exercitus Imperator, Romam misit: continent eæ literæ Orationem summi viri Josephi, quâ populares suos Judæos in mœnibus stantes, obsequium suadens, affatus est, quarum ego exemplum de Hebræo in Latinum versum & manu mea exscriptum domi servo, eas, si videtur, domo petam, petitas Regi recitat, illæ sic habent:

Lecte populus, Abrahami progenies, Mosis discipuli, Hierosolymorum cives, sacratissimi divinitatis domicilii custos, patriæ delicium. Sinite me quæso, communis patriæ saluti, hæc orationis meæ verba ad vestram velut sapientiæ aram toto ani-

mo & pectore vobis adolere. Auribus auscultate, animis cognoscite: procul omnis superbia abesto, prudentia adesto, judicet mens a turbidis affectibus libera. Dolosa, ne quid erretis, victoriæ spes est, quæ captantem ipsam sæpe eludat; ut, qui se vincere posse confidit, plerumque vincatur; & qua alios pernicie delere speraverat, ipse præter spem deleatur. Nonne scitis, civem quendam Alexandrum magnum recenti victoriâ lætum, cum a bello reverteretur, his verbis affatum fuisse? Tu quidem Alexander minimi istius belli victoriâ tantopere triumphas, utinam pariter maximo illo bello victor triumphares! Regi, quod majus bellum, quam quo vicerat, esse posset? interroganti, maximum illud affectuum tuorum bellum, inquit ille. Oro atque obtestor vos, generosissimi juvenes, affectus vobis, vos rationi subjicite, quo virtus vestra eo enitatur, ut juvenilibus annis senilem sapientiam anticipetis, senectuti enim nulla tanta virtute est opus, illa ætas rerum usu & sapientia valida, facile quid opus facto sit, videt. Quid vero prodest, animum quidem ratione præditum cum Diis, sed vitam cum belluis communem habere? Cum hostis vester pacis leges et sacratissimæ ædis vestræ incolu-

mitatem

mitatem ultro vobis offerat, vos eam belli discrimini objicietis? & quam ipse hostis misertus incendio eripere summa ope nititur, eine vos sceleratas faces impiis manibus subdetis? Ubi nunc prudentissimi senatores illi, illi inquam vestri? quibuscum omnes ex cunctis gentibus, qui consilio unquam valuerunt, si in unum locum conferantur, non sunt conferendi: ubi nunc illi, qui saluberrima afflictissimis rebus consilia suppeditare solent? Nihilne vobis nunc possunt auxiliari? Ubi nunc illa inclyta famâ fortitudinis gloria, quæ sola pietate magistra semper stetit? Ubi avitæ integritatis decus? Hostis e mille telis ne unum quidem frustra in vos mittit; vos contra, ne unum quidem hostem, mille telis vulneratis. Vos mihi inter mille ingruentium undique malorum agmina misere destituti videmini, ut navis aliqua, quam medio mari deprensam, circumfrementes procellæ in adversos & naufragos scopulos urgent, desuper tenebræ & caligo premunt, quarum horrorem terribilis tonitruum fragor, & intermicantium fulminum ignes adaugent. Sacram ædem innocentium sanguine fœdastis; malos atque scelestos judiciis absolutos, liberos atque impunitos

 dimi-

dimisistis: adeoque intestinis discordijs sævitum est, ut cum unum Judæum foris occideret hostis, vos domi occideretis mille. Audite, sanctissimi Proceres, Imperatorem Titum conquerentem, supervacaneum sibi fuisse, tanto labore, Roma arietes expugnandis Hierosolymis petere, cum ipsi discordes Judæi alij alijs arietes essent. Pro certo habetote fiduciam istam sine recti conscientia, ut navem sine clavo esse. Quid, nisi perpetuum recti studium Romanis res tam secundas fecit? Censores per urbem constituêre fidos, qui de vita & moribus cujusque, si quis legem aliquam violasset, ad senatum quotidie referrent, nec inventus quisquam fuit, qui vel unam legem Romanam violare sit ausus. Vos verò universas leges divinas quotidie violare non dubitatis, sabbatha, Deoque sacra festa profanatis, virgines formosas è cubiculis suis, & de matrum sinu ad stupra rapitis. Quanquam Sapiens aliquis dicit, neminem adeo decrepita senectute languidum, quem non formosæ mulieris aspectus amore sui excitet: aut juvenem ita esse continentem, qui non visam protinus formosam ardeat; sed Sapiens ille longæ pacis ista vitia narrat: At ubi jam bellorum increpuit metus, & publica per mala patriæ excidio facta via est; non modo flagitia ista non fieri; sed

ſed ne cogitari quidem debebant; ſi Sanctiſſimum REGEM veſtrum monentem audiatis: Sed vos, quæ veſtri ingenii malignitas eſt, ſpreta ſummi Numinis majeſtate, in contrarium nitentes, animum ſceleribus, corpus flagitiis corruptum habetis.

Alexander obſcurâ naturæ ſcintillulâ vix allucente, dextrâ haſtam in hoſtem, ſiniſtrâ ſtipem in pauperes miſit, ut quem hoſtium ſanguinem nimiâ fortitudine altera fudiſſet, eundem inſigni liberalitate expiaret altera. Vos vero clariſſimo divinæ lucis Sole colluſtrati, ambabus manibus non peſſimorum hoſtium; ſed juſtiſſimorum civium ſanguinem hauſiſtis. Præterea immenſas florentiſſimi Romanorum imperij vires & terminos animo ac cogitatione percurrite, quicquid terrarum ab ultimis Britannis ad Atlantem uſque montem interjacet, id omne armis domitum imperio tenent. Vos quoque gentis illius imperio faſces ſubmittite, cui conſtans ſummi Numinis favor, humaniſque conſiliis potentius fatum omnia ſubjecit. Natura magiſtra diſcite, quod ad vitæ uſum transferatis. Vel unam mihi arundinem videte, populares, quæ violentis furentium ventorum flabris leniter ſubmittitur, & ſalutari ſibi ipſi obſequio cedit, ut facilius in ſublime incolumis reſurgere poſſit: mox ubi ventorum deſævijt rabies,

in na-

in naturam redit. Illud item considerate, populares, nullius unquam gentis perpetuam fuisse fortunam, nisi quæ moribus incorrupta probitatem cum fortuna constanter conjunxit. Primi omnium gentium rerum potiti sunt Assyrii, qui cum optimam vivendi ducem, naturam deseruissent, iratus Deus iis imperium ablatum in Medos transtulit. His ereptum, cum eadem peccassent, Græcis tradidit: A quibus ad Romanos transiit. Illis ab irato Numine dejectis, nobis id aliquando deferetur, si modo tanto vos munere dignos finxeritis. Equidem non ignoro impium exercitus vestri ducem, animos vobis addere insidiosa oratione, quos hoc tempore dejicere magis, quam erigere debebat. Multa quidem ille vobis consilia dat; sed mihi credite, minus juvant centum consilia unius impii viri, quam unum consilium virorum centum, quorum concors consilium divina moderatur benignitas. Quid vos rei gerendæ consilium petitis a crudeli latrone, homine vecorde, qui quantus quantus, nil nisi impietas est? At vero dicat hic aliquis: Gravis & intoleranda iis servitus est, qui semper in libertate agitarunt. Libertatem mihi hic aliquis nominat? Ego certe nec momentum unum vos liberos vidi, quo non servieritis. Visum enim præpotenti nostro Deo est,

eſt, non ſervare has gentis noſtræ reliquias, niſi importunis affectibus moderentur, & nos fato ſubmittentes ſervitutem æquo animo feramus. Ipſos illos rerum dominos Romanos, quo vos ſubjiciant, ſedibus ſuis excivit Deus. Ipſe ecce gentis noſtræ pater Abrahamus, ſapientiâ & divitiis præſtans, quoties imperito vulgo ſe ſubmiſit? Hujus nepos Jacobus, dum fatum ſequitur, Ægypti ſervitutem quanta animi moderatione tulit? Fortiſſimus ejus filius Judas, cæterique fratres, qui eximia fortitudine ſua univerſæ Ægypto terrorem incutere potuiſſent, quanto magis unum Joſephum occidere, adeo non occiderunt eum, ut etiam ſupplices ſe illi abjicientes, manifeſto ſervitutis argumento, vix accedere eum, certe adverſum intueri non ſuſtinuerint: quia eum fato ſibi prælatum & veluti Regem datum ſibi agnoſcerent. Adultâ jam Republicã veſtrâ ſub Rege Saulo, nonne filios veſtros ad ſervilia aulæ officia, patricias virgines aurum & purpuram geſtantes, ad Regis coquinam atque piſtrinum rapi vidiſtis? Video vos obſtinatiſſimis animis & velut remis veliſque in exitium ferri, dum tanto tamque nefario ſcelere ſacratiſſimam ædem veſtram inflammatis: Quomodo enim incenſa non ardeat, ſi

A a ipſi

ipsi ultro faces subjiciatis. Hæc dum vir summus loquitur, loquentem Judæi de muro telis petunt. Ille nihil territus orationem prosequitur, exclamans: O fida urbs Hierosolyma, augusta summi Numinis sedes, Palæstinæ decus, cœlestium Angelorum delicium. O Hierosolyma! non geminum murum tuum eversum querimur, non portas effractas, non mœnia rupta; hoc unum querimur & miseramur, quod bonis viris jamdudum vacuam te videmus. O Hierosolyma, voluptatum & amœnitatum omnium sedes unica, si isti me occiderint; tu innocentis pœnas Deum scelerum vindicem supplex posce, qui me perditum volunt, quos ego salvos volo. Illud vero quibus lacrymis, quo luctu prosequemur? Quod cives tui, omissis propriis armis, virtute & recti studio, aliena arma, gladios atque hastas sumsere. Abrahamus solo pietatis præsidio tutus, ne precibus quidem ullis opus habuit, quo ereptam sibi dormienti ab Ægypti Rege uxorem recuperaret: dum enim Rex tentaret raptæ pudicitiam, percussum Deus obscœna parte Pharaonem & frustra Medicorum opem implorantem, Abrahamo Saram suam remittere coëgit: quam ille mane evigilans, lateri suo accubantem & caput regia corona redimitam invenit. O Hierosolyma, qui tibi

hostes

hostes tuos, nisi cives tui induxêre? Quis Antonium? Quis Sosium? Quis Imperatorem Neronem advocavit? Nempe cives tui; dum intestini belli rabie, in mutuam perniciem ruunt, horum tibi malorum autores fuerunt. Vos vero Hierosolyma, dicite viris istis, qui in mœnibus stant, & vos defendere videri volunt, cum re ipsa evertant; istis, inquam, dicite: Si vestri misereri nolint; at saltem sanctissimæ ædis vestræ a tot nobilissimis viris sacrisque vatibus extructæ misereantur. Enimvero differre deditionem, differre incolumitatem est. Utinam modo vos dudum hosti permisissetis! quanto enim diutius deditionem profertis, tanto propiores excidio estis.

Talia locutum Judæi de muro ingenti saxo petunt, ille periculum fugâ evitat. Nicolaus subjicit: Vide, o Rex, ut frustra gentem istam certâ ratione quæras regere: neque consilium ullum, aut prudentia obstinatissimæ gentis vecordiæ mederi potest. Rex inquit: Quem neque consilio, neque prudentia juves, ipsa si cupiat salus, servare eum non possit. Utinam omne incertæ vitæ tempus non Judæorum; sed nostræ ipsorum saluti curandæ impendamus! Cæterum, incredibile dictu est, quam me affecerint epistolæ illius verba, quæ arguunt insignem gentis eloquentiam, & suavissimum ora-

tionis flumen, atque vehementissimum impetum. Tum Nicolaus; hoc mirum videri non debet, cum Judæi insignes eloquentiæ magistri, liberos suos sacras literas, unicum eloquentiæ fontem a teneris docere soleant. Qui cognoscere avet, qua ratione Regis animus conciliari possit, ille Abigaëlis orationem ad Davidem consulat. Qui scire cupit, quomodo laudandus & celebrandus Deus sit, is Hannam disertissima oratione in Dei laudes se effundentem audiat. Si quis commiserationis & querelarum exemplum requirit, ille orationem legat, quâ Judas Josephum accedens compellavit. Rex aït; num etiam ligata oratione & carmine utuntur Judæi? Nicolaus inquit: utuntur; ac potissimum hanc laudem sibi propriam in sacris obeundis olim vindicavere Levitæ. Romæ inter libros, qui Hierosolymis allati erant, videre me librum quendam memini scriptum à Lazaro quodam Levita, qui agit primum de terræ globo, utrum ille moveatur: cur in medio aëre circumfuso pendeat. Quæ ille omnia præclaro carmine est executus, ut Hebraïcis literis docti Christiani & Poëtæ Judæi testantur. Deinde scribit de gemmis & plantis, earumque virtutibus; de quibus egregium carmen.

men composuit. Tum de homine, quem in quatuor ordines dividit. I. In eruditos. II. Mercatores. III. Milites. IV. Agricolas; de iisque versus scripsit, quos vel ipse David miretur. Agit de quatuor elementis carmine. Ad cœlestia conversus primum Lunam, ejusque virtutem, qua inferiori huic mundo dominatur, motusque canit. Deinde septem planetas, duodecim cœli signa, ipsorum vires & virtutem, atque magnitudinem; tum decem Angelorum ordines, quot ministrent Omnipotenti Deo, singulos ordines singulis carminibus celebrat. Postremo quatuor summi Numinis formas, æternam & immensam sapientiam, non minus doctè, quam suaviter canit. Rex inquit, satis superque ad ea, quæ rogavi, responsum à te est. Sed cum Judæi sapientiæ famâ adeo celebres sint, mirari subit aniles illas fabulas, quæ Thalmudicorum magistrorum nomine feruntur, quæ vix sanam mentem; nedum inusitatam aliquam sapientiam mihi arguere videntur. Sed nos eam rem in medio relinquimus. At quandoquidem in hunc sermonem de mundo, ejusque ordine atque natura incidimus, habeo nonnulla, quæ ex te quæram; si forte ad ea respondere possis; convenit certe, Reges rerum causas scrutari.

Quære ſane, o Rex, Nicolaus inquit; ego, Deo bene juvante, reſpondebo.

QUÆSTIO PRIMA:

Quæ naturalis cauſa eſt, quamobrem terra in medio univerſi conſiſtat, nec in alterutrum latus pondere ſuo feratur?

RESPONSIO:

CUm primum univerſi hanc machinam conderet omnipotens Deus, cœlum & terram ex eadem materia ſimul condidit; quare etiam velut cognatæ naturæ conſcia, amant inter ſe, ut germani fratres, & ſingulæ cœli partes terram, quam amant, certatim attrahere nituntur: & cum æquis viribus, ut nulla pars aliam attrahendi vi ſuperet, eam ad ſe attrahant, æquali illa undique attractione terra in omnium partium medio relinquitur. Rex inquit: Ego contra ſentio, quia terram cœlum oderit ob ignobiliorem naturam, a quaque cœli parte eam æqualiter repelli, & ſic in medio deſtitui. Nicolaus inquit: Ariſtoteles, eumque ſecutus Avicenna tradit: Terram centrum, & cœlum circum

cumferentiam ejus esse; & esse centri hanc naturam, ut medium semper occupet. Tum Rex: istas quidem, quas dixisti rationes, contrariis rationibus facile quis refutet. Sed mihi quidem nulla sententia magis, quam Thalmudicorum, probatur, qui sentiunt: Dei numine, ejusque omnipotenti jussu terram stare, cui sententiæ fidem faciunt illa Jobi verba: cap. xxvj: vers 7. Qui extendit aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.

SECUNDA QUÆSTIO:

Quomodo in terræ visceribus aurum & gemmæ nascuntur, res splendentes aut pellucidæ, cum terra ipsa per se obscura & crassa fæce turbida sit?

RESPONSIO:

VI coruscantium radiorum Solis & cœlestium siderum. Dicit Rex: Quomodo in terræ visceribus illa quidquam agunt? Respondet Nicolaus: quomodo fingitur in utero matris infans? Hinc David ait: Psalmo cxxxix. v. 15. Contextus sum in imâ terrâ: Ut hisce verbis latentem or-

tus

tus ſui modum occultis & prodigioſis naturę viribus, quibus fœcundiſſima rerum mater, terra, corpora ſinu ſuo concepta edere ſolet, comparaſſe videatur. Admirabilior etiam eſt generatio margaritæ, quæ naſcitur in concha, quam Arabes صدف Zedeph appellant, quod conchæ genus in mari vivere ſolitum, certo anni die, cum pluit, ex imo fundo in ſummas maris undas emergit, teſtas ſuas pandit, quas duarum aurium inſtar aptè compoſitas habet, decidentis pluviæ guttas excipit, tum clauſis teſtis naſcitur margarita; quæ cordi atque oculis corroborandis conducit. Rex inquit: Ego vero alium, quo margaritæ naſcantur, modum audivi; ſcilicet in Oceano validus ventus ſuboritur, ingenti mole fluctus excitans, tum concha illa, quam dixiſti, aperto ore ſpumam marinam haurit; aliquot diebus deinde interjectis os ſuum ad Solis radios pandit, atque ſic ex aqua illa, radiorum Solis beneficio, id gemmæ genus concha gignit: Quæ omnia ſtupenda naturæ miracula ſunt. Nicolaus inquit: Quid autem in hoc univerſo eſt, quod naturæ miraculum non ſit? Jam olim David pronunciavit: Pſalmo laudato v. 14. Admiranda ſunt opera tua, & anima mea cognoſcit plurimum. Innuit David, ſe quidem noſſe plurima; ſed tamen non omnia. Quis enim magnetis

gnetis naturam, quæ ferrum trahit, nobis exponat? Cui Rex: At ego illorum verborum hanc ſententiam eſſe intellexi: Admiranda ſunt opera tua; ſed admirabilius etiam eſt hoc, animam meam ratione præditam illa intelligere: quod vocem iſtam, מאד Meod, quam tu plurimum ſignificare dixiſti, poſtulare dicunt. Sed ſi verba illa ex tua mente accipiamus, David jactat eam ſcientiam, quam fortaſſis non habuit. Scimus enim, quam pauca admirandæ naturæ opera ſciant etiam ſapientiſſimi quique. Sed ut ad Magnetem, de quo modo dixiſti, revertamur: ſcriptum legi, eum ferri naturam habere, ideoque ferrum ad ſe trahere. Ita enim natura comparatum eſſe videmus, ut quæque res rem cognatam ſimiliſque ingenii atque naturæ amplecti ſoleat.

TERTIA QUÆSTIO:

Cur creſcentes plantæ in altum ſurgunt? Quamvis enim ex duobus elementis, quæ natura feruntur ſurſum, igni & aëre conſtent; conſtant tamen etiam ex aliis duobus, terra & aqua, quæ gravitate levibus elementis longè præponderantia,

herbeſcentes plantas infra terram deprimere debere videntur; aut ſaltem, tranſverſim per terram excreſcentes pondere ſuo humi detinere, ne in altum ſe ſubjiciant.

RESPONSIO:

HAbent plantæ animam vegetativam, quæ duo illa gravia elementa ſurſum in ſublime cogit. Memini aliquando, mihi controverſiam hac de re fuiſſe cum Joſepho Benveniſta, regni tui cive clariſſimo; qui diceret: Eandem controverſiam, quam tu nunc moves, o Rex, Thalmudicos quoque inter ſe agitaſſe, & in hunc modum decidiſſe. Creſcendi illam rationem a ſtellarum virtute proficiſci, inquiunt enim; Non eſt germen in ſolo, quod non habeat ſtellam in cœlo; quæ illi efficaci voce velut imperet, ſurſum creſce.

QUARTA QUÆSTIO:

Quæ cauſa aliis plantis alios colores inducit?

RESPONSIO:

CUm elementum aquæ in planta ſuperat; albicat color. Si terræ elementum vincit; nigricat color. Si ignis elementum regnat; rube-

rubeſcit: par ratio reliquorum colorum, quæ in Phyſicis exponitur.

QUINTA QUÆSTIO.

Quare arbor inferiori parte craſſa, ſuperiori tenuis eſt?

RESPONSIO:



Uia gravium elementorum, aquæ & terræ vis illa non tanta eſt, ut æque alimenta ſua ſummæ arbori atque imæ ſufficere valeat.

SEXTA QUÆSTIO:

Cur beſtiæ ſenſuum ſubtilitate vincunt hominem? Dicitur enim leo ſagaciſſimo audiendi ſenſu voces longiſſimè percipere: corvus & apes olfactu odores longiſſimè remotos; aquila acutiſſima oculorum acie res complurium milliarium intervallo diviſas proſpicere.

RESPONSIO:




Eſtiæ illæ, quas dixiſti, unum principem ſenſum habent; cui ornando & perficiendo reliqui ſenſus vim ſuam conferunt; operâ

certe perquam necessariâ; siquidem principis illius sensus egregiâ virtute bestiæ illæ, vitæ sustentandæ necessaria pabula quærunt. Cum enim feræ omnes minores leonem metuant, atque adeo metu ejus, se in specubus & saltibus abdant: nisi jam mugientis bovis vocem longè exaudiret leo, ægre admodum prædam, ex qua vivere solet, assequi posset. Quare etiam, si forte ex mugitu, bovem longius abesse sentit, quam ut eodem, quo vocem ejus audivit, die, assequi eum possit; dolorem prædæ frustra tam subtiliter auditæ immani rugitu testatur. Sic literarum monumentis proditum legi.

SEPTIMA QUÆSTIO:

Cur Deus homini non dedit robur leonis?

RESPONSIO:



Istud vero perinde est, ac si quæras, cur Deus non fecerit muscam Philosophum: aut culicem sacrum vatem: aut hominem stellam in cœlo: quanquam jam olim homines extiterint, leonibus ipsis fortiores; David enim leonem percussit. Rex inquit: Davidem, cum ipse se inter-

interfecisse leonem diceret, nondum illius virtutis instinctu, quam nos Spiritum Sanctum dicimus, locutum fuisse constat: quid ergo illi credamus? Respondit Nicolaus: Haud dispar inusitati roboris exemplum, Romæ aliquando in theatro vidi; adducebatur taurus, unde incertum, adeo præstanti robore, ut centum jam viros interfecisset. Tradunt autem Physici, tauro tantum robur in fronte, quantum leoni in armis atque unguibus, esse. Cui vir quispiam fortissimus congressus; pugno in fronte percussum interfecit, mox assatum totum uno prandio absumsit. Tum Rex, ista quidem Siculis gerris vaniora sunt; quis tantus hominis ventriculus est, qui totum bovem capiat? Nicolaus contra: monstrum etiam monstrosius multo hisce oculis ipsemet vidi, animal quoddam, inquam, altum cubitis duobus, latum uno; cujus caput sine cute nudam calvariam habebat, auribus carens; sed in occipite unum foramen erat, quod aurium vicem præstare credebatur: manibus singulis digiti bini, pedes equinis pedibus similes erant. Rex inquit; Sapientiæ metâ relictâ stultitiæ spatia ingrederis, qui fabulam fabula, nugas nugis defendas. Adhæc Nicolaus: Nonne traditum memoriæ in illo de Animalibus libro; esse homines in remotioribus

insulis, qui capite carentes oculos in pectore gestent? Rex inquit: Quid ista tam longinqua miraris? Ego tibi in regno meo millenos ostendam, qui caput non habeant; quorum tu mihi vel princeps esse videris.

OCTAVA QUÆSTIO:

Cum flumina influant in mare, cur illud non redundat?

NIcolaus subjicit: Cum capite caream, quomodo respondeam? Inquit Rex: Naturâ ingenium hominis proclive ad iram est; sed illa statim sedatur: Quam si quis perpetuam alat, næ ille stultitiæ manifestus est: quia sapiens Hebræus ait: Eccles. cap. vij: vers 10. Ira in sinu stultorum requiescit. Tum Nicolaus breviter: Sol redundaturam illam aquæ copiam calore suo exhaurit.

NONA QUÆSTIO;

Ajunt, Regem quendam in septentrione, quo equum tentaret; velato capite ad matrem suam ineundam admisisse. Ille ignarus matrem

init

init; velo autem amoto ubi agnovit facinus, conscenso monte se præcipitem dedit. Nonne ratione præditus equus videtur, qui intellecti facinoris tam severas de se pœnas exegerit?

RESPONSIO:

DEus equo ingenium hoc dedit, ut exemplo castissimi animalis dissolutam hominum libidinem damnaret.

DECIMA QUÆSTIO:

Cur nix est alba, quam natam ex aqua, concolorem illi esse oportet?

RESPONSIO:

AQua alba est ut nix; sed vicinæ terræ fæce turbida nativum colorem amittit: sed in nubem e sede sua subducta, aëris & caloris beneficio attenuatur & purgatur, atque ita ad pristinum candorem redit.

UNDECIMA QUÆSTIO:

Cur grando modo parva & rotunda, modo aliusmodi descendit?

RESPONSIO:

Quæ parva atque rotunda decidit, per longius aëris interrallum delata & circumacta, paula-

paulatim ab aëre raditur, & rotunditatem accipit. Quæ vero terræ proxima nascitur, breviori & temporis & loci intervallo, dum decidit, nec ab aëre radi, nec rotundari potest.

DUODECIMA QUÆSTIO:

Cur pluviæ guttæ æstate grandiores sunt?

RESPONSIO:

QUia calor guttas coactas grandiores facit: Aqua enim natura frigida calorem abhorret; hinc collecta velut agmine facto calori resistere nititur.

DECIMA TERTIA QUÆSTIO:

Cur orbium coelestium alii tardius, alii concitatius moventur? Cur alii terrarum orbem obeunt, alii non item?

RESPONSIO:

NIcolaus: oro atque obtestor te, ô Rex, noli me rogare, quæ in coelis fiunt, qui ne ea quidem sciam, quæ supra ædium, mearum

mearum tectum geruntur. Sapientes dicunt: Quæ de rerum natura traduntur, pleraque vera: quæ de Astronomicis scientiis, pleraque falsa: quæ de cœlestibus & divinis rebus, omnia esse ambigua: quia angusta mens humana tam amplas atque augustas res non capit.

Disputatio incidit inter Christianum atque Judæum coram Rege Alphonso Lusitano. Christianus infit: Complures Psalmi sunt, qui docent, Jesum nostrum esse verum Messiam, & in iis præcipuè Psalmus vigesimus ille secundus, cujus initium hoc est: Deus meus! Deus meus! cur me dereliquisti? quas ille voces cruci jam suffixus edidit: David jam multis ante seculis de eo ita erat vaticinatus; Diffluo ut aqua, dissolvuntur omnes artus mei: cor mihi mediis in visceribus, quasi cera colliquescit. Porro de eo ait: Tot me tauri circundant: Infestos Judæorum judices sentiens. Faucibus inhiant mihi: dum populi seductorem atque concitatorem dixerunt. Verba illa, circumsistunt me canes: Judæos signant exitio ejus inhiantes. Quæ vero sequuntur voces, Me circumvallat improborum caterva, qui mihi manus & pedes perfoderunt; de Jesu intelligendæ sunt: quem Judæi clavis per manus pedesque actis, cruci suffixerunt. Tum hæc vox: Anima

ejus non perdurat: Jeſum ſignificat, qui Adami peccatis expiandis voluntariam mortem ſubiit. Denique cum dicit: Venient, qui annuncient juſtitiam ejus, populo naſcituro, quam fecit. Per populum naſciturum, Chriſtianos intelligit; quibus Jeſus novam legem condidit. Ad hæc Judæus: Tu cum doctus ſis literas Hebræas, ignorare non potes, cuilibet verſui interpretem mentem affingere poſſe ex ſua mente; ſed eam demum veram & germanam cujuſque verſus mentem eſſe, quam reliquorum verſuum ſententia comprobet. Sed Pſalmus iſte, qui dicit: Deus meus! Deus meus! cur me dereliquiſti? complures verſus habet, qui expoſitioni iſti tuæ refragantur. Primum reſpondebo tibi, quod ſapiens quidam Judæus, in ſimili cauſa Hiſpaniarum Regi olim reſpondit, inquiens: Heſterno die, ô Rex, gallo meo gallinaceo iratus, quod cantu ſuo me obtunderet, fuſte percuſſum inſecutus ſum; donec in obſcurum quoddam conclave eum compulerim. Tum quotidie aſſiduis ictibus fatigando, cute & carne fœdè laceris, omnia illi oſſa comminui, deinde in ollam immiſſum, ut fit, operui; ille mortuus, hem prodigium! continuo reviviſcit, & priſtino ſuo more ſtrepere & canere cœpit: Totum hoc, qualecunque eſt, divinus mihi

mihi vates Jeremias prædixisse videtur in lamentationibus Cap. iij. vers 1. dum queritur אני הגבר ראה עני Ego sum vir iste, qui miseriam sensit. Vox Hebræa הגבר vir, Thalmudicis quoque gallum gallinaceum significat. Vt verba illa etiam hanc sententiam admittant: Ego sum gallus ille gallinaceus, qui miseriam sensit; virgâ sævitiæ ejus, quæ verba fustem supra dictum signant. Egit duxitque me; hic galli gallinacei persecutionem habes; in tenebras & non in lucem: obscurum conclave intellige. Nimirum in me conversus, manum suam vertit assiduè. Hæc est illa, assiduis ictibus quotidiana divexatio: aut si mavis, per vocem vertit, circumversationem galli gallinacei in olla; quâ ille probè percoquitur, intelligas, licet. Tabefecit carnem cutemque meam, ossa mea perfringens. Nempe carnis & cutis lacerationem & ossium galli comminutionem dicit. Obstruxit me: id est, ollæ immissum conclusit. Me in tenebris collocavit, gravesque compedes adhibuit. His ille verbis operculum illud innuit, quo gallum olla conclusum coöperuit. Ac licet conquerar & clamem: hic galli reviviscentis novo monstro, vocem & cantum agnosce. Nunc tibi, o Rex, judicandum relinquo, num satis dignum pio homine sit, dicere; Sanctissimum vatem rem adeo absur-

dam prædixisse: præsertim cum reliqui versus ab hac sententia abhorreant: Atque hæc quidem olim sapiens ille Judæus ad Hispaniæ Regem. Eadem ego illa de Psalmo illo, quem sententiæ tuæ probandæ laudasti, dicere habeo. Quanquam aliquot versus vaticinium de Christo vestro habere videntur; plerique tamen de eo nequaquam intelligi possunt. Orat enim: Mi Deus! mi Deus! cur me dereliquisti? Voco, mi Deus, interdiu, nec exaudis. Si ille voluntariam mortem subiit; quod verbis illis, Anima ejus non perdurat, arguitur; quare Deum oravit, ut se audiret, & a morte illa servaret? Præterea quomodo dixit: Tibi confisi sunt patres nostri: qui patrem nullum habuerit? Tum etiam: Prædicabo nomen tuum fratribus meis; cui nullus fuerit frater. Quomodo disertis verbis dixisset, Laus Israëlis: Omnes Jacobi posteri honorate eum; cum tamen omnes eum maximo odio prosecuti fuerint? Verba illa: Populo nascituro: de nobis Judæis intelligenda sunt; qui immensis exilii calamitatibus superstites, quotidie velut nascimur. Tum Rex, o vaferrime Judæe, ut callide subterfugisti respondere ad illud, quod caput rei est, Perfoderunt manus, pedesque meos. Respondit Judæus: Hoccine caput rei est, o Rex, quod interpretis Hieronymi error peperit. Qui per-

foderunt

foderunt vertit, quod ſicut leo vertendum erat: neque enim כרו perfoderunt; ſed כארי ſicut leo contextus habet. Idem fecit Hieronymus Pſal. iv: vers 3. בני איש עד־מה כבודי לכלמה Filii hominum quouſque gloriam meam in infamiam vertitis? pro כבודי לכלמה gloriam meam in infamiam; legit כבדי לב graves corde, atque dixit, eſſe hanc Dei orationem contra Judæos inſtitutam, qui in Servatorem ſuum non crediderunt. Quod vero attinet ad ea verba, ſicut leo manus meas: de Judæis in exilio agentibus dicta ſunt. Scilicet ab infeſtis gentibus paſſuros eos eſſe, quæ feræ a leonibus patiuntur; qui ſulco caudâ ducto montes circumſcribunt, quem incluſæ feræ egredi non audeant; ſed metu humiles, armis pedibuſque contractis, ſeſe illis ſubmittunt. Reſpondit Rex: Si iſta, quam dicis, verborum illorum ſententia eſſet; dicendum certe fuerat: Sicut leo contrahere me fecit manus meas, & pedes meos. Quanquam illud, quod de circulo a leone circum montem ducto narraſti, totum fortaſſe fabuloſum eſt. Hic Chriſtianus interpellans ait: Si concedamus maximè, ex Pſalmo ſupra memorato, Achilleis argumentis demonſtrari non poſſe, Jeſum noſtrum verum Meſſiam eſſe; quid

tandem causæ dicetis, quamobrem non credatis, Jesum nostrum verum Messiam esse, qui, mundum ex nihilo creatum, rem certè multo magis incredibilem, credatis? cum tamen argumentis, ut videtur, invictis, mundi æternitatem evicerit Aristoteles. Tum Judæus: Quæstio ista jampridem coram Johanne, Arragonum Rege ventilata est. Ad quam tum ex nostratibus sapiens quidam in hunc modum respondit: Aristotelis argumenta levia per se atque futilia, mundi æternitatem neutiquam probant. Præterea res incredibilis, si Dei omnipotentiam arguat; credenda est. Quis vero nescit, creatione universi ex nihilo, Dei omnipotentiam evidentissime demonstrari? At si dicamus, Deum corpus induisse, Deum sua divinitate exuemus; quia ex Deo, non Deum facimus. Præterea quoque, si hominem induerit eo fine, ut infinitis pœnis peccata Adami, qui contra infinitum Deum peccaverat, ipse lueret; quis tandem pœnas illas luit, Deusne an homo? Si Deum luisse dicamus; ipse tu negas, mori eum posse. Sin hominem; constat finitam hominis naturam, infinitas pœnas sustinere non potuisse. Rex inquit: Habeo certe, quæ ad ista respondeam; sed ea nunc in ultimum disputationis nostræ actum differre, consilium mihi est. Unum hoc

nunc

nunc dico: Vos jampridem naturæ quodam vitio vanos, prodigiosè mentiri solere; hinc merito omnium animis insedit opinio, omnia, quæ dicitis, quæ scribitis, fictas fabulas esse. Ipse ego, audire me aliquando memini in disputatione quadam, vos narrare in Thalmude vestro: Extitisse ranam quandam, sexaginta domorum magnitudine; quam serpens deglutiverit, mox ipse a corvo deglutiendus, qui, quasi nulla ventris sarcina gravis, statim in arborem subvolaverit: quæ quidem omnia portentosa mendacia esse, quis sanus dubitet? Traditis quoque: Ferrum in mare delapsum, & perpetuos septem annos circumactum nondum ad maris fundum pertigisse. Quis vero oculorum acie imum mare penetravit, qui nobis certo referat; fundum attigerit, necne? Denique scribitis: Virum quendam Sapientem vidisse mare tam decumanis fluctibus tumidum, ut inter singulos fluctus valles trecentorum milliarium subsiderent; quod splendidum mendacium est, cum totius illius maris longitudo trecenta milliaria non pateat. Respondet Judæus: Nonnulli ex gentis nostræ eruditis tradunt, priscos illos Sapientes, cum populum ad audiendum se convocarent, solitos fuisse Musicis instrumentis canere quo, ubi cantus suavitate allecti confluxissent, cer-

tius

tius eos, quæ cum ad privatam, tum ad civilem vitam pertinerent, edocere possent. Postea majores nostri, Musicæ imperiti, aliam viam ingressi sunt: qui festivis narrationibus & ficta rerum imagine, vera vitæ præcepta rudem populum docuerunt: quorum usum emendandæ vitæ humanæ saluberrimum sapientiores facile perviderunt. Duas illas docendi rationes vel ex ipso Psalmista Davide discere est: Psal. XLIX: vers 5. Inclinabo aurem meam ad parabolam, aperiam cum cithara ænigma meum. Ranæ illa fabula, rerum naturalium scientiam significat; quæ alta & sonora voce, velut rana, divina opera celebrat. Sexaginta domorum magnitudine, sexaginta naturæ partes, quas in se continet, intelliguntur. Prima pars est terræ elementum in septem climata tributæ, quæ omnia temperie atque natura inter se differunt. Singula autem in quinas partes dividuntur. 1. In Rupes 2. Montes 3. Colles 4. Valles 5. Planitiem. Terræ viscera continent ossa, venas, pulmonem, argentum, aurum, æs, stannum, plumbum, argentum vivum & sulphur; res scilicet in universum numero undecim. Ossa sunt saxa, quæ in magno terræ corpore, humani corporis ossa referunt. Venæ fontes sunt, & perennes puteorum

aquæ

aquæ, quibus terra rigatur: Pulmo lapides pretiosi sunt, qui pulmonem colore mentiuntur. Pars pulmonis alba adamantem, pars rubra pyropum signat; cujus quidem duo genera sunt, alterum saturo colore rubet, alterum vero diluto colore viret, Hyacinthum vocant: qui affectis oculis & hebescenti senum visui medetur. E terra quinque rerum genera nascuntur; herba fructifera & sterilis, arbor fructifera & sterilis, itemque ancipitis naturæ arbor quædam; quæ oriente Sole, e terra oritur, & occidente in terram occidit. Nonne terræ cognatam naturam habere videtur, dum crescit; cœli vero, dum oritur & occidit? In terra degunt, & ex ea alimenta sua habent septem rerum genera; homo, qui animo & corpore constans, neminem sibi similem habet: bestia cicur & fera, serpens & reptile, & biforme illud animal, quod superiori parte hominem, inferiori equum refert, centaurum vocant. Atque sic, quæ in terræ visceribus, ex terra atque super terra nascuntur, & ex ea aluntur, sunt numero triginta quatuor. Secunda pars elementum aquæ est in duo genera divisum, in dulces aquas, quas flumina habent; atque salsas, quæ mari continentur: In illis degunt pisces, ranæ atque bellua illa, quæ crocodilus dicitur; quæ cum

 cætera

cætera omnia animalia ſuperiorem maxillam moveant, ſola eam rigidam & immobilem habet. Præcipuè vero in ſalſis maris aquis degunt etiam quadrupedia, feræ, ſerpentes & reptilia. Nimirum ita à majoribus acceptum memoriæ prodiderunt Thalmudici, eſſe bovem marinum, & terreſtrem, hujus eſum conceſſum nobis, illius, quia mundi animalis indiciis careat, vetitum eſſe. Contraria prorſus marini & terreſtris aſini ratio eſt; hujus eſu nobis interdictum, illius vero, quia mundi animalis ſigna habet, liber nobis eſus eſt. Eſtque præterea in mari monſtrum ex homine & piſce conflatum, quod Sirenem dicimus. Tum nivis, grandinis & pluviæ materia, Onyx gemma, corallium, & immani corpore piſcis ille Leviathan dictus. Quibus ſi adjeceris ſpongiam, ſexdecim res habebis in mari natas. Tertia pars continet elementum aëris, & quæ in eo vivunt, aves puta, quæ partim ex rapto vivunt, partim non vivunt ex rapto. Chamæleon, qui ſolo aëre, quem in montium jugis captat, victitare ſolet; & aquila, quæ ad ignis uſque elementum ſubvolat; quia mixtam ex igni & aëre naturam habet: atque ita aërem cum ſuis animalibus quinque partes implere vides. Quarta pars elementum ignis eſt, cum iis, quæ ex igni naſcuntur: Salamandra,

mandra, tonitru, fulgure & fulmine, quas postremas quinque partes, si superioribus addas, omnino sexaginta in universum absolveris. Quas Salomon sensit, cum sexaginta reginas esse dixit, totidem naturæ opera innuens: octoginta vero pellices esse, octoginta virtutes significans: quæ ad naturam quoque pertinere videntur. Virgines autem innumeras, occulta naturæ miracula signans. Quas quidem virtutes postea omnes ordine ennarrabo, nunc quod orsus eram pertexam. Serpens ranam deglutiens, notat scientiam Astronomicam, quam serpentem vocat, quia circuli cœlestes, ut serpens in spiras suas, in rotundos orbes colliguntur: obscurè vero innuit, rana a serpente absorpta, Astronomicam scientiam rerum naturalium scientia sublimiorem esse. Corvus autem divinarum rerum scientiam, quæ Theologia dicitur, indicat; corvo etiam a Salomone assimilata, cum dicit: Cant. v: vers 7. Capilli ejus nigri ut corvus. & Psalm xvij: vers 12. ait: Posuit tenebras latibulum suum. Quibus verbis immane scientiæ illius profundum arguitur. Dicit enim corvum deglutiisse serpentem, immensam ejus majestatem, quâ Astronomiæ antecellit, significans. Quod vero corvus in arborem subvolasse dicatur: ea arbor lex est, Theologiæ munere mor-

talibus data: hinc illa quoque in ſacris literis, vitæ arbor nominatur; omnes ſcientias velut umbra ſua in ſe complexa. Fabula illa de fluctibus, vaſto vallium hiatu inter ſe diviſis, immenſa humani animi deſideria narrat; quæ immanibus irati maris fluctibus vaſtiora, nec finem ullum, nec modum habent. Ferrum illud in mare delapſum, & toto ſeptennio nondum ad fundum delatum, mens eſt humana; quæ acumine ſuo ferri aciem ſimulat: Septem illi anni ſeptem liberales artes ſunt: quarum penitiſſima arcana, ne totâ quidem vitâ humani ingenii acies penetret. Rex Judæo inquit: Equidem agnoſco; fabulas iſtas, probabilem iſtum magis, quam neceſſarium ſenſum habere. Sed cum nos Chriſtiani ſimus, religionem, quam veram eſſe ſcimus, conſtanter teneamus: vos vero eam, quam veram eſſe opinàmini; præmia olim vita & moribus veſtris digna a Deo feretis. Credo ego, ſi cœleſti aliquo prodigio religionis noſtræ veritatem & veſtræ falſitatem fuiſſetis edocti, jampridem in noſtra ſacra tranſiiſſetis. Chriſtianus ait: Non idem iſti de nobis ſentiunt: Quidam enim ſapientum illorum nos, ut cœcos, palpare quaſi in ipſo meridie dicit: regiam viam quidem nobis ante pedes eſſe: ſed à qua aberrantes in æternum corpo-

rum

rum atque animorum exitium ruamus. Rex inquit: Hoc mirum videri non debet; ſenſit enim ſapiens, quemque leges ſuas præjudicata quadam opinione, optimas exiſtimare: & hinc pertinax cuique ſuarum legum ſtudium eſſe: ſed tamen, ſi quid deliquerint, id ſeveriter ab illis animadvertam, modo tu mihi fidem dederis, te in poſterum nihil acerbius in eos dicturum. Reſpondet Chriſtianus: Per tuam, regnique tui ſalutem, o Rex! Si univerſa maris aqua atramentum, cœlum charta, arbores omnes calami eſſent, non ſufficerent deſcribendis omnibus iis malis, quæ de iis dicere habeo. Rex ait: Tantum poteſt præjudicata illa opinio, quam modo dixi tibi, mentis aciem præſtringere, ut quiſque ſibi blandiens, minime verum de rebus judicium pervideat: nunc vero pergamus. Multa hic deſunt carie & vetuſtate exeſa.

XXXIII. Infandam cladem acceperunt Hebræi in ampliſſima urbe Feſſa, cum vero cladis ipſius idonea literarum monumenta viderim nulla, neque mihi conſilium eſt, eam hic uberius perſequi. Comperi enim eos, qui hiſtoriam illam fuſiſſime narrant, multum variare, atque inter ſe diſſentire: adeo, ut facile obrepente tædio fractus, in medio opere deficere poſſe videatur, qui memoriam ejus literarum monumentis

mentis complecti velit; imprimis cum rei gestæ fides minus ubique certa atque indubitata sit.

XXXIV. Coorti cujusdam urbis in Germania cives, convocatis Hebræis imperant, ut Christiana sacra tridui spatio aut assumant, saluti suæ redimendæ: aut imperium recusantibus ferro pereundum esse. Quo tristi edicto Hebræi conveniunt trepidi, se saccis obvoluti in cineres abjiciunt, & inediâ sese excruciantes Dei O:M: opem implorant. Exacto triduo, cum se ope divina nihil sublevatos viderent, manu mortem occupare ad unum omnes statuunt. Tum vero, qui inter Hebræos florenti ætate juvenes erant, ajunt: His dextris nefaria hostium consilia fortiter ulti, has animas Deo & religioni impendamus. Postridie mane omnes Christiani ad curiam conveniunt expectantes, quam mox veniant Hebræi, Christiana sacra amplexuri; singuli etiam singulos Hebræos secum domum suam abducturi erant, uti sacris Christianis initiandos prima religionis suæ rudimenta edocerent. Hebræorum isti juvenes telis, quæ vestibus tecta gestabant, curiam invadentes, universos Christianos concidunt. Antequam vero id agerent, conjugibus suis præceperant, ut opportunis quatuor regionibus, facibus subditis urbem incenderent. Excitatum igitur incen-

incendium, quod nemo reſtingueret, cum omnes cives in curia eſſent, totam urbem una cum ipſis Hebræis abſumſit. Rem totam, uti narravi, ita geſtam eſſe accepi a ſapientiſſimo quodam Hebræo, gente Germano, qui Orator miſſus erat.

XXXV. A viro quodam ſapientiſſimo, Cabaliſticæ ſcientiæ perito, qui ex Galliis recens advenerat, accepi, in urbe Bodon ejuſmodi ſententiam fuiſſe latam; Accenſa eſt fax cerea, qua in foro erectâ, proclamatum. In Chriſtianorum numerum cooptandum eſſe quemcunque Hebræorum, qui, antequam fax iſta conſumeretur, Chriſtiana ſacra amplecti paratus eſſet. Qui vero poſt abſumtam demum facem adfuerit, igni exurendum. Sed omnes cum liberis ſuis dirum ignis ſupplicium ſubire, quam legem deſerere maluerunt, fortiter ad ultimum vitæ ſpiritum in avitis ſacris perſtantes. Inter quos Judæus quidam animo & ingenio præſtans, præfecto urbis in deliciis fuit, qui ad ſe vocato Chriſtiana ſacra perſuadere, eumque invidendis honoribus oblatis, ad ea illectare ſtudebat. At Hebræus inquit: Quid honoris in me conferre poteris, quod par cenſeri poſſit gloriæ, quâ frui mihi licebit per magnum illum animarum conditorem & conſervatorem Deum, ſi religioni meæ inhærens,

Chri-



Christiana sacra perpetuo aversatus fuero. Quibus verbis præfectus urbis irritatus Hebræum Hebræorumque sacra asperis conviciis proscindere cœpit. Tùm ille ait: Non hercle eo adhuc sum animo, ut in Christiana sacra transeam, fieri tamen poterit, cum latè grassantem videro flammam, quæ corpus meum depascatur, ut tum terrore quodam perculsus, animo & corpore cohorrescens, fixam firmamque hanc sententiam mutem. Quapropter magnum ignem in foro excitari jube, ad eumque tu una mecum propius accede; fortassis tum fatis mentem impellentibus, consilium tuum lubens sequar. Præfectus, recte mones, inquit; magnoque rogo protinus excitari jusso, ad eum una cum illo propius accessit. Hebræus se igni proximum esse videns, ut erat, singulari corporis robore, correptum subito præfectum, in stridentem flammam præcipitem dat, injecta insuper tota corporis sui mole præcipitatum premit, donec ambo pari fato extinguuntur.

XXXVI. In Germaniæ quadam urbe, in hanc sententiam edictum promulgatum fuit; Hebræi intra triduum religionem omnes mutarent, aut exurendos esse. Miseri illi congressi religione crudelem sententiam mitigare student, itaque inedia

&

& ſupplicatione ſeſe biduo hac quidem lege macerant; niſi tertio die ope divina edicti ſeveritate allevarentur; ſe univerſos in ſacellum ſuum coituros, & ne vivi in Chriſtianorum poteſtatem venirent, mutuis potius vulneribus interituros: ſi quis forte ad durum hoc facinus molliori animo fuerit, cui dirum furioſumque videatur, alium interimere; is æditui operam imploret; qui illum ſuo nomine perimat. Quod funeſtum cum placeret conſilium, alii alios, ut conſtituerant, interficiunt. Exanguia conjugum liberorumq; cadavera, quos ipſi mariti atque parentes primum occiderant, cruenta mox virorum funera excipiunt; relicto æadituo, qui fabulam ſolus finivit. Is enim cultro per jugulum tranſacto mortem ſibi conſcivit. Quarto die mane Hebræorum ædes adeunt Chriſtiani ſciſcitaturi; quid animi ipſis eſſet. Sed cum intus neminem deprehenderent, ad ſacellum properant, in quo ſtrata Hebræorum cadavera, multoque cruore fœda inveniunt: Viſa tam triſti ſtrage, Regem adeunt narraturi rem dictu horrendam. Qui intellecta tanta Hebræorum rabie, inhumata illorum cadavera canibus rus dilanianda projici jubet. Germani quidam Hebræi tradunt, ſe a majoribus ſuis accepiſſe, quod mons quidam inhumata illorum cadavera obruens, ceu ſinu gremioque ſuo ea complexus

Ee fuerit.

fuerit. Faxit Deus immortalis, ut hæc sanctissimorum hominum præclara facta, eorumque omnium, qui horum exemplum usquam fuerint secuti, seræ Israëlis posteritati felicia atque salutaria esse possint.

XXXVII. Granatensis cladis occasio, dicam, an causa, hæc fuit, ut accepi. Eo tempore Rex ipse medicum quendam habuisse dicitur, cui Isaco Hamoni nomen erat, qui ut regiis medicis mos est, regiam quotidie frequentabat. Hic quodam forte die, duos Muhammedanos in foro rixantes offendens, quo turbas illas evitaret, retrocedere quidem; sed frustra conabatur. Igitur medico recta illac prætereunte, quidam ex Muhammedanis, qui forte adstabant, litem, quæ jam in pugnam exarserat, diremturus, alteri jurgantium per sacrum vatem nostrum, inquit, mitte virum eorundem tecum sacrorum consortem, ac in miserum ne sævi tantopere. Sed surdo dixerat. Tum furentis hominis rabiem alio sacramento sistere conatur, inquiens: Virum per medicum regium fac missum. Audito solo medici nomine, velut sanatus hominis furor resedit. Confestim Muhammedani confluunt, dictitantes: Insigni contumelia lex nostra affecta, ingenti opprobrio publicè violata est. Hominem per vatem

nostrum;

noſtrum; ſed fruſtra obſecravit. Obſecravit deinde per hominem Judæum, cujus obſecrationis religione virum miſſum fecit. Quin ducem nobis legimus, cujus ductu atq; auſpiciis uſi, peſſimam Judæorum gentem exſcindimus. Tum armis correptis in Judæos irruunt, atque promiſcue univerſos trucidant, exceptis honoratioribus aliquot, qui in regiam confugientes ſævientium manus evaſerunt. Ex eo tempore Medici, qui ibidem ſunt, inſtitutum hoc religioſe obſervant, equis non vehuntur, bombycinis non veſtiuntur, neque ullam inceſſu per publicum pompam oſtentant, quod fit, partim, ne irritata Muhammedanorum invidia furorque in illos denuo exardeſcat, partim etiam ut occiſos ſuos populares luctu proſequi videantur.

XXXVIII. Ex pio quodam pariter & ſapiente viro Abrahamo Harmide didici, editum fuiſſe prodigium per M: Judam filium Virgæ Hiſpalenſem, quod nunc ſcribere aggredior. In urbe Schirin della Frontera, quæ vicina Hiſpali eſt, monachi quidam ædes ditiſſimi cujuſpiam Judæi adeunt, petituri ſtipem, quam cum ipſe petentibus negaſſet, orta inter eos contentio eſt, qua Judæus in furias ruens, unum ex monachis contundere cœpit. Quibus initiis in totum Judæorum conciliabulum verſa

eſt monachorum rabies: qui malis conſiliis jampridem velut prægnantes, jam Judæorum exitium parturiebant. Accidit eodem forte die, ut, cum viderent virum quendam, qui inter mortales eſſe deſiiſſet, natum parentibus Hebræis, ſed Chriſtiana ſacra poſtea amplexum, in Chriſtianorum ſepulcreto ſepeliri, ipſi abeuntes cadaver ſua ſede eductum, Judæorum ſepulcris inferrent. Mane ſparſo per urbem rumore, ſe inane viri illius ſepulcrum deprehendiſſe, vulgant; cujus quidem rei nulla alia veriſimilis cauſa eſſet, quam quod Hebræi, cui genti originem ille ſuam deberet, cujuſque ſacra olim ſecutus eſſet, cadaver ipſius Chriſtianorum ſepulcris, invidia quadam impulſi, ſubduxerint: ne una cum Chriſtianis ſcilicet, inter quos ſepultus jaceret, Tartaro æternum quoque damnaretur. Univerſi hanc Judæorum fraudem narraturi principem adeunt, qui è veſtigio inquit: Judæos nihildum mali ſuſpicantes rogate, numquem aliquot proximis diebus ſepeliverint? Rogantibus Judæi reſpondent, per illa tempora neminem Hebræorum terra conditum eſſe. Quo Judæorum reſponſo intellecto, princeps ait: Ite nunc ad Judæorum ſepulcretum, viſite, numquem recentem tumulum reperiatis? Abeunt (verſipelles, non tam

investigandi animo, quam retegendi, quod alebant, monstrum.) Novum sepulcrum inveniunt, unde Judæum Christiana sacra amplexum eruunt. Hinc ad principem recurrentes, se novum sepulcrum invenisse nunciant: & cum vir ipsis olim familiaris fuerit; diruto sepulcro cadaver protraxisse, & plane eundem fuisse Hebræum, qui in Christianorum sententiam discessisset, exactè se agnovisse. Invisæ rei novitate princeps ira accensus ait: Hæc omnino res Regi perscribenda erit. Interea jussu principis cuncti Hebræi conjecti in carceres, situ & pedore squalentes, trepide expectant, donec regia sententia perferatur. Hebræi hoc novo malo perculsi ad M. Judam filium Virgæ Hispalim mittunt, ut ille confestim advolans, impediret; ne gentem suam magnis veluti irati maris fluctibus jactatam, ingens vorago hauriret. Aliqui Hebræorum delitescebant, publicum cane pejus & angue fugientes, ne in idem malum inciderent. Adventantem M. Judam satellites aditu ad principem, animi quadam rabie efferati prohibere nituntur. Verum enimvero M. Judas per obstantem turbam impetu perrumpens, principem ita affatur: Magne princeps, adsum ego non liberaturus a scelere suo Judæos, dignos certe, qui

vivi exurantur: si modo tam grave crimen admiserint. Sed ostensurus ego sum, qui veri hujus criminis sint autores; ne forte manus tuas innocentium sanguine imprudens polluas. Princeps ait: Te virum sapientia plus quam humana præditum esse novi. Age, præsta quod promisisti modo: mire enim animum meum hunc exhilarabis, & summo mihi semper merito loco eris. Tum M. Judas ait: afferatur una papyri membrana, quam tu, me illam non contingente, manu prehendas. Princeps afferri membranam imperat, latam prehendit, quam M: Judas quadruplicatam capere, & in dextrum sinum recondere jubet. Hic M. Judas, cum Cabalisticæ scientiæ peritissimus esset, nomen divinum invocasse dicitur. Mox princeps membranâ protractâ, expressa quatuor monachorum agmina deprehendit. In uno latere tres erant monachi, cadaver e Christianorum sepulcris eruentes. In altero latere picti erant tres monachi cadaver portantes, & cum forte cadaver gravius esset, unus cingulum suum cadaveri commodius portando subdidit, cujus quidem pars altera extabat, quam qui una portabat, manu sua prensam tenebat: adeo, ut singula rei gestæ vestigia luculenter extarent. Alii tres, viarum angusta obsederant, observaturi, ne forte

quis

quis interveniens novos veſpillones conſpiceret. Quarta membranæ facies, alios tres monachos exhibebat, effodientes Judæorum ſepulcra, ubi cadaver condituri erant: Quilibet vero monachorum nomen capiti ſuo adſcriptum prodebat. Princeps ad rei miraculum diu ſtupeſcens, tandem ſubmiſſo capite, M. Judæ gratias agit: membranam vero, ut novum aliquod monſtrum, poſtea Regi tranſmiſit. Hinc ſubito princeps monachos accerſit, quos facinus pernegantes, producta membrana criminis convincit. Convictos princeps de cingulo interrogat: ipſi perinde, ut ſupra dictum eſt, ſe rem egiſſe fatentur. Deinde cauſam rogat, cur erutum cadaver ſuo loco tranſportarint? Reſpondent illi: ſe ulciſci voluiſſe Judæum, qui illos diris proſecutus etiam pulſaſſet. Tum dicenti principi: quid hæc ad cœteros Hebræos? Ajunt, ſe mortem, qua indigne Chriſtum affecerint, iſta ratione vindicaturos fuiſſe. Poſt hæc princeps cuique monacho ignitum cucullum imponi jubet. Quo viſo, populus pietatis officium ſe facturum exiſtimans, irruit; & eos ob ordinem ſacrum, cujus membra ipſi eſſent, hoc ſupplicio liberat. Morte enim plectere eos, qui ordinis ſacri ſunt, nefas ducitur. Verum enimvero duos igniti cuculli ſupplicio

plicio jam enectos liberare sero nimis voluerunt. Cæteri vero huic supplicio, irruentis populi beneficio subtracti, perpetuo exilio mulctati sunt.

XXXIX. Cives Romani, armis subito furore correptis, invadunt Judæorum conciliabulum, quod tum temporis celebre frequensque erat, dictitantes: Si Christiana sacra amplecti velint; se illos, ut germanos fratres, omni honore atque benevolentia prosecuturos. Præterea eos pares vitæ delicias, cum in terris, tum in cœlis æternumque beatis sedibus habituros: Sin minus, omnes ad unum ferro perituros, a nemine instantis fati periculo eripiendos. Judæi humum strati supplices fletu precibusque obtestantur, quinetiam omnes possessiones suas ultro offerunt, modo sua sibi sacrorum libertas relinquatur: sed vanæ atque irritæ miserorum preces atque vota fuerunt. Uno quippe triduo, a lege sua Romæ, & in confinibus locis, quindecim Hebræorum millia desciscere coacti sunt. Neque istud fatum, nisi perpauci evadere potuerunt, qui, cum famam hujusce rei in urbe gestæ per Romanam ditionem volantem exciperent, procul fugerunt. Alii vero aliquandiu occulti in latebris, quas magnis muneribus apud primates redemerant, tandem Neapolim profugêre: ubi brevis

tempo-

temporis pace usos, eadem postea fortuna deprehendit.

XL. Exemplum literarum, quas sapientissimus Abunstrocus conciliabulo Geronensi misit anno quinquies millesimo centesimo decimo tertio. Tum temporis Hebræorum primatibus, magnus terror & trepidatio a Pontifice Maximo injecta est; cujus quidem terroris solus autor Josua Lurki fuit; qui postquam a Judaïcis ad Christiana sacra descivisset, mutato nomine, Magister Hieronymus de sancta Fe appellari cœpit. Cujus nominis primæ vocum literæ, quemadmodum Hebræi suo sermone illas scribere solent מאישטרי גירונימו די שאנטה פי vocem מגדף efficiunt, quæ vox Hebræis calumniatorem significat. Petiit ille a Pontifice maximo, ut acciret Judæorum sapientissimos quosque, se demonstraturum iis, jampridem Messiam venisse, eumque Christum esse; atque id Judæorum armis ex ipsorum Thalmude depromtis. Literarum exemplum hoc est:

Principes Israelis, Nobiles Judæ, domi atque in patria vestra potentes & celebres, pietatis officiis inclyti: sacræ legis atque Thalmudicæ lectionis studiosi, qui majorum vestigiis laudatissimo exemplo insistitis, semper beati atque felices.

 Olim

Olim vos novisse scimus, etiamnum vos nosse speramus, illud sacri vatis oraculum: Non dormitaturum, neque dormiturum Servatorem nostrum, quin ab inimicis nostris nos liberet. Potissimum vero a ramusculo illo, qui a nobis procrevit, & jam nobis perniciem, nostræq; verissimæ legis eversionem molitur, scilicet Josua Lurki, qui mala mente, malisque consiliis prægnans, nobis exitium parturit, quo se vere Christianum probet, acremque novæ religionis assertorem. Petiit ille a Pontifice maximo, ut Judæorum sapientissimos quosque acciret: se illis clarissime ex Thalmude nostro demonstraturum, jampridem Messiam venisse. Hortatus præterea est Pontificem Maximum; ut, si hoc ipse demonstrasset, Judæos ad Christiana sacra vi compellere vellet. Quod ipsum verissimis argumentis, præsente sanctissimo Pontifice, evicturum se promisit. Mihi itaque visum est, vos hujus consilii instantisque controversiæ certiores facere, ut probe instructi Epicuro isti ad singula exacte respondere queatis. Sed pro certo habetote, nos jam periculosam illam Charybdim feliciter præternavigasse. Nobis enim coram præsulibus, atque primatibus multis jam comparendum fuit, quorum non pauci in nostrum exitium conjurasse videbantur. Viri sapientes

Romam

Romam a conventibus missi, Calendis Januariis pervenerunt, imprimis vero sapientes Arragonensium, quos Josua Lurki potissimum advocari suadebat. Ex urbe Cæsaraugusta Zarachias Levita, primas ille Vidael filius Benvenistæ, M. Mathatias Izahari, Macaltiob, summus ille exulum princeps, qui Hebræis Nasi dicitur. Samuel Levita & M. Moses filius Mosis. Ex urbe Osca Todrus Byzantinus. Ex urbe Alcoja Josephus filius Adreti, Meir Galigon. Ex urbe Daroca Astrocus Levita. Ex urbe Monte Regali M. Josephus Albus. Ex urbe Monzonio Josephus Levita & M. Jomtob Carcosa Ex Monte Albano Abuganda. Ex urbe Velesa Josephus Abbalegh, & sapiens Bongosa & M. Todrus filius Jechi Gironensis, vir admodum venerandus. Hi Romam pervecti inter se de legendo aliquo Oratore deliberant; qui coram Pontifice Maximo verba faceret. Consentiunt vero omnes, ut Vidael filius Benvenistæ primus diceret, variarum artium & linguæ Latinæ egregia cognitione instructus. Convenit quoque inter ipsos, ne, quod vulgo in academiis literati Judæi agere solent, alter alterum acriter interpellare, & nisi sententiam suam approbet, impotentius criminari audeat: idque adeo, ne effrænes dissolutique Judæorum mores

 ludibrio

ludibrio essent Pontifici Maximo. Præterea, ut actiones suas cum Josua Lurki, cæterisque præsulibus, morum modestia & quadam animi gravitate temperarent. Denique ne cui, etiamsi maledictis lacessito, splendida bilis moveatur: quin alius alium submissa voce hortetur, ne animum prorsus abjiciat. Tum nos a conventibus, Deo bene juvante, missi, qui oppressum a potentiori vindicat, Pontificem Maximum adimus, qui nos hilari vultu excipit, & cujusque patriam, nomenque literis consignari jubet. Quo ipso nos, veluti malo omine perculsi, scribam trepidi rogamus, quænam ista sit machinatio. At ille: non eam machinationem aliquam, sed solennem Pontificis, Regumque omnium morem esse; nobis citra fraudem. Solent enim ii res per sua tempora gestas annalium monumentis fideliter perscribere. Deinde nos Pontifex Maximus his verbis est affatus: Honoratissimi gentis Hebraîcæ viri, gentis inquam, quam Deus ipse olim elegerat; licet nunc ob vitæ suæ crimina rejectæ: nolite metuere vobis a disputatione, cum ipse ego Pontifex vos bono animo esse jubeam: nemo vos injuriâ aut molestia afficiet, proinde liberi curis libere & animose pro causa vestra loquimini, nihil quidquam morati aut veriti: jactavit mihi M. Hie-

Hieronymus, ſe demonſtraturum vobis, certo jam veniſſe Meſſiam, idque ex Thalmude veſtro. Experiamur, utrum verum dixerit, an inanes flaverit glorias. Vos vero inter diſputandum Hieronymum nimium formidare nolite, quin libere cauſam veſtram defendite; pari enim dicendi jure, parique loco haberi debent, qui inter ſe diſputant. Nunc itaque abite domum & requieſcite, craſtino mane redite. Continuo mandat, ut apta nobis aſſignentur hoſpitia, & victus ſuppeditetur, vel ex ipſo etiam Pontificis penu, vel quem ipſi pro more legis noſtræ expetamus. Tum aliqui noſtrum lætabantur, quod Pontifex adeo benigne locutus fuiſſet. Alii contra Judaïco more triſtabantur. Poſtridie ad Pontificem reverſi, majus palatium totum, in quo habenda diſputatio eſſet, pretioſiſſimis aulæis veſtitum invenimus: poſitæ illic ſeptuaginta ex ordine ſellæ purpuratis patribus, antiſtitibus, præſulibuſque ſacris erant, qui omnes miro aurearum veſtium fulgore coruſcabant. Auditores quoque adſtabant Proceres, & Principes civitatis Romanæ, ut mille facile ſpectatores eſſe viderentur, quos omnes toti diſputationi aſſidue interfuiſſe vidimus: Horum magnifico conſpectu

quamvis

quamvis animus noster dejiceretur; nihilominus tamen solennem nobis precatiunculam diximus: Magnas merito gratias Deo Optimo Maximo agimus atque habemus, cui hominem divini sui honoris consortem facere fuerit visum. Deinde Pontifex Maximus in hunc modum est orsus: Vos Hebræorum sapientissimi scitote, me non hic adesse, neque vos advocasse, ad disputandum, nostrane an vestra vera sit religio. Certo certius mihi est, religionem meam verissimam esse. Vestra quidem lex olim vera fuit, at abrogata ea nunc est. Non alio autore huc accersiti estis, nisi Hieronymo, qui Messiam jampridem venisse se demonstraturum dixit, ex Thalmude vestro; quem Magistri vestri, vobis longe sapientiores, olim condiderunt: proinde aliud disputare cavete. Tum Pontifex ad M. Hieronymum conversus, ait: Tu disputationem auspicare, respondeant illi. Orsus itaque his verbis Hieronymus est: Esaiæ cap. 1. Venite nunc & disputabimus, dicit Dominus: si vero renueritis, & rebelles fueritis; gladio conficiemini. Postea Vidael filius Benvenistæ orationem suam Latinè exorsus, adeo eleganter dixit; ut Pontifex Maximus, cum magna animi delectatione, viri sapientiam, & dictionis splendorem miratus

fu-

fuerit. Ejusquoque rationibus adeo permotus est, ut in Hieronymum palam stomachari videretur. Agreste equidem est, eum, qui rei veritatem disputando inquirit, a minis disputationem auspicari. Asperius certe dixit Hieronymus: Si vero renueritis atque rebelles fueritis; gladio conficiemini. Vix enim disputari est cœptum, quin jam tristem nobis tulerit sententiam. Pontifex Maximus respondit: verum dicitis; sed nolite mirari pravum istum Hieronymi morem, quem gente vestrâ magistrâ didicit, cui originem suam debet. Exordium vero, quo Vidael Orationem suam est auspicatus, hujusce-modi fuit: En Maxime Pontifex, tibi, cui parere nos voluit Deus, prompti paratique sistimur omnes. Tum Samuel Levita verba fecit: Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutem tuam da nobis. Postremo obtestati sunt Maximum Pontificem, ut sibi istam disputandi rationem remitteret. Judæos enim, quorum pars illi essent, minimè syllogismis & Philosophorum ratiociniis assuetos esse, quibus Hieronymus instructus ad disputandum videretur: sibi idonea firmandæ suæ sententiæ argumenta non deesse; sed ea rudia & nulla arte composita, qualia a majoribus suis accepissent. Respondet Pontifex: Quodsi hoc metu

perculsi

perculsi a me petitis, jam dudum vos bono animo esse jussi: neque enim mutabo, quam semel dixi, sententiam. Si vero Logicis ratiocinationibus disputare nescitis; tum Hieronymo vos iis oppugnanti nihil quicquam respondete. Verum enimvero, si argumenta a majoribus vestris tradita vobis objecerit; tum illi eodem modo simpliciter respondete. Tempore prolixis orationibus transacto, Pontifex nos domum cœnatum dimittit, monitos, ut postridie revertamur. Præcepit etiam viris honoratissimis, domum nos deducerent. Tum optare nobiscum cœpimus, utinam parem principio finem disputatio hæc sortiatur! Eodem die sacellum nostrum frequentamus, atque in frequenti conventu Deum ardentibus precibus invocamus, ut mentes nostras illustratas Numine suo ita dirigere dignetur, ne forte leones nobis imminentes aliquâ imprudentia offendamus, & in nostram perniciem concitemus. Deinde multâ frequentiâ, animo humili atque abjecto concionem habuit M. Zarachias Levita, qui hoc sibi thema explicandum delegerat: Similia similibus, contraria contrariis curantur. Quæ quidem verba ille ad miraculum usque argute enarravit: ut nemo facile mentem eorum sit assecutus, nisi qui super ea re autorem ipsum consuluerit, oratio-

tio-

tionem precibus finivit. Die tertio disputationis auspicia facta sunt, quo orsus M. Hieronymus dixit: In Thalmude vestro scriptum extat: Sexies mille annos stabit mundus: Bis mille annos erit vacuus, id est sine lege. Bis mille sub lege. Et bis mille anni erunt dies Messiæ. Ex his verbis res luce meridiana clarior est, bis postremis mille annis Messiam venisse. Quis autem ille, nisi Christus Servator noster, fuerit? Hanc materiam Hieronymus fusissima oratione tractavit, & ingenio suo indulgens plenius & uberius est executus; donec ei Pontifex maximus dixerit: Iampridem te magnum Oratorem esse, Hieronyme, novi; verum non orandi sed eam materiam, quam pollicitus, disputandi gratia adsumus; proin nihil circuitione usus, rem ipsam potius dicito. Hinc ad Hebræos conversus, ait: Respondete vos ad dicentis verba. Respondit Clar: Vidael, filius Benvenistæ: Considerabimus primum, o Pontifex Maxime, Messiæ conditionem, deinde elucescet, an Messias jampridem venerit, nec ne Quod si deprehendatur in eo, qui venit, Messiæ conditio, nos quoque eum Messiam esse fatebimur. Cui Pontifex Maximus: Non respondes ad quæstionem propositam, quia non quæstio est de conditione Messiæ, ve-

rum de eo, quod verba iſta habent: Jampridem ſcilicet veniſſe Meſſiam. Vos autem pravo Judaico more veſtro, qui in diſputationibus rem aliam rogati ad aliam tranſitis, hic alienum a quæſtione reſpondetis. Reſpondet Clar: Vidael. Pontifex Maxime, Nos ſapientum more ordimur. Decet enim primum rem ipſam, deinde rei circumſtantias conſiderare, quod certe ipſa natura & diſputandi ratio poſtulat. Verum ſi hanc viam inſiſtere diſplicet, aliam ingreſſi ad ipſa verba reſpondeamus. Dico itaque ſapientem Hieronymum verborum captaſſe delectum, atque ea potiſſimum ſelegiſſe, quibus confiſus magnum ineſſe ſententiæ ſuæ præſidium ſperavit. Omiſiſſe autem de induſtria, quæ ipſi adverſantur. Ecce in fine verborum hæc leguntur: Sed quotquot ex illis annis præterlapſi ſunt, ii omnes propter plurima & graviſſima vitæ noſtræ crimina præterlapſi ſunt. Scilicet quotquot anni ex ultimis bis millenis, quibus Meſſias venire debebat, nec venit, præterlapſi ſunt, propter innumera crimina noſtra præterlapſi ſunt. Quæ clariſſime Meſſiam nondum veniſſe demonſtrant. Reſpondit Hieronymus: ſi ex hoc reſponſo veſtro judicium ferre licet, aut vos verba ipſa non intelligitis; aut certe vos ipſa non intelligere ex alto diſſimulatis.

verba

Verba enim ſic habent: Et bis mille anni Meſſiæ. Hæc nempe ſunt verba ſanctiſſimi vatis Eliæ, quæ ipſe diſcipulis ſuis dixit, qui ea porro ejus nomine vulgarunt. Quod demonſtrant verba ipſa תנא דבי אליהו Docet Academia Eliæ, quemadmodum id luculentiſſime conſtat in Thalmudis lectione verſatis. Iſti vero ſcilicet Eliæ diſcipuli, aut eos ſecuti Thalmudici viri libris ſuis vatis ſententiam inſerentes, addiderunt ſequentia iſta: Sed propter innumera crimina noſtra præterlapſi ſunt tot anni, quotquot præterlapſi ſunt ex ultimis bis mille annis, quibus non venit Meſſias. Quod illi pro ſententia ſua tuenda fecerunt, quia Chriſtum Meſſiam eſſe non crediderunt. Verum ſanctiſſimus vates Elias, ut vates futuri præſcius dixit: Bis mille anni tempus Meſſiæ erit: quod vati oraculo patefactum conſtabat. Reſpondens M. Zarachias Levita inquit: Pontifex maxime, qui quæſtionem aliquam probare aggreditur, num eam probare poterit argumento ambiguo, quod in utramque partem interpretari poſſis? certe opus eſt, certiſſimam aliquam rationem dubiæ rei aſſerendæ afferat. Ecce Hieronymus dicit: Ultima contextus illius verba Thalmudicos Magiſtros de ſuo aſſuiſſe: quam interpretationem ad firmandam ſententiam ſuam, pro ſuo in-

ingenio ipſe cudit. Adverſarius quiſpiam contendat: omnia illa verba a principio uſque ad finem ipſius ſanctiſſimi vatis Eliæ eſſe: idque adeo, ut contra diſputantem opinionem ſuam ipſe quoque confirmet: niſi vero jam alteruter interpretationis ſuæ certam atque indubitatam rationem aliquam, aut divinum oraculum habeat, utique lis ipſa ſemper in ambiguo erit. Et quomodo inde Hieronymus, quod voluit, certo efficiat? Objiciat enim adverſarius: Quoſid tu propoſitam quæſtionem ſola tua interpretatione certo demonſtrare ſtudes; ego aliam interpretationem adferam, & ſic nihil demonſtraveris. Quod ſi quæras ex me, unde meam interpretationem adferam; quæram contra ex te, unde tu afferas tuam? Porro autem, cum ille nos noſtro Thalmude urgeat, certe noviſſe eum oportet: Hanc Thalmudis noſtri rationem eſſe, ſi ad ſententiæ alicujus interpretationem, quæ prorſus neceſſaria non eſt, adverſarius objecerit, fortaſſe rem aliter, ac ipſe interpretatur, ſeſe habere &c. nec interpretationis ſuæ fidem idoneis argumentis adſtruat, rem totam veluti inter dubitationum ſcopulos impulſam in ambiguo relinqui, donec interpretationis autor, alio multo efficaciori atque indubitato prorſus argumento ſententiam

am suam adversario approbaverit. Præterea verisimilius est, unam hanc integram sententiam ab uno autore; quam a duobus fuisse profectam. Quod si forte postrema sententiæ verba alterius autoris sint, ut hic videri vult Hieronymus; consuevit Thalmud disertim addere, ut auctorem prodat: Hoc dixit Magister Asius, aut alius quispiam; quod & in hac sententia fecisset: Propter innumera crimina nostra præterlapsi sunt tot anni, sine adventu Messiæ, quot ex ultimis bis mille annis præterlapsi fuerunt; si ea alius autoris fuissent. Diximus etiam initio Pontifici maximo: Eum, qui venit considerandum esse, utrume Messiæ conditiones habeat; an non. At si in viro illo, qui jam venit, conditiones, quæ Messiæ propriæ sunt, deprehendantur; tum demum supra memorata verba Hieronymi interpretationem admittent. Si vero conditiones Messiæ in illo non appareant; utique nostra interpretatio vera erit. Pontifex maximus ait: Procul dubio verum dixistis; nam, qui rem aliquam demonstrandam suscepit, necesse est, id agat argumento certissimo, planeque necessario, quod minime anceps aut ambiguum esse videatur. Respondit Hieronymus; Maxime Pontifex, causa mea non solo hoc unius sententiæ præsidio nititur;

 sed

ſed complures quoque alias ſententias habeo. Cui Pontifex maximus ait: Jam a more Chriſtianis in diſputando uſitato ad Judæorum morem tranſfugiſti; qui uno latere feſſi, mox ſeſe in alterum latus convertunt: at nihil tergiverſantem ad verba Judæorum, de propoſita hac ſententia reſpondere te decet. Subjicit Hieronymus: Nonne multo tempore ante Judæorum exilia venit Elias? Proinde neceſſario conſequitur, verba illa, Et propter innumera peccata noſtra, & quæ ſequuntur: Non ipſum Eliam; ſed alium aliquem dixiſſe, qui ipſe in exilio fuerit. At dicat hic aliquis: Diſcipulos ejus illa verba adjeciſſe. An non diſcipuli ejus illi tempore proximi, multo ante veſtra exilia fuerunt? Unde neceſſario efficitur: verba illa, Et propter innumera peccata noſtra: Thalmudicos magiſtros pro opinione ſua, quemadmodum oſtendi, aſſuiſſe. Cl. Vidael reſpondens, ait: Maxime Pontifex, dixerint ſane, ut Hieronymus contendit, illa Thalmudici magiſtri: nos accedamus ad ipſa Eliæ verba, quæ ſic habent: Et bis mille anni dies Meſſiæ. Si itaque jampridem venit Meſſias; tum dixiſſe illum oportuiſſet; exeuntibus quater millenis annis veniet Meſſias: aut ineuntibus quinquies millenis: aut alio certo tempore Meſſias veniet. Verum univerſim dixit:

dixit: Ultimis bis mille annis. Itaque fieri poterit, ut ille ſub finem eorum veniat. Reſpondit Hieronymus: Imo Eliæ vatis ſententia eſt, totum hoc bis mille annorum ſpatium Meſſiæ tempus futurum: quo exacto, continuo mundum periturum. Cui contra M. Joſephus Albus ait: Objicis tu quidem, quæ objeciſti dudum: quibus repetita priori reſponſione occurri poteſt: quod ipſum jam conceſſit Pontifex Maximus; videlicet alia cum ſit quoque interpretatio, tuam iſtam haud neceſſariam eſſe. Præterea Thalmudici Magiſtri, quorum armis nos evincere conaris, ipſi hanc ſententiam Thalmudi inſeruerint, non ut menti & opinioni ſuæ contrariam; ſed potius convenientem: quoniam ipſi palam dictitantes, tradiderunt: Duos temporis terminos adventuro Meſſiæ præfinitos eſſe: aut tempus, quod Deus juravit: aut tempus, quo Judæi ad excipiendum Meſſiam parati vitæ male actæ rite pœnitentiam egerint. Proinde ſententia iſta non certo temporis articulo adventum Meſſiæ adſtrinxit; ſed ſolummodo dixit: Et bis mille anni dies Meſſiæ. Senſus eſt, bis mille iſti anni ſunt apti, quibus Meſſias veniat. Si digni Judæi fuerint, veniet in principio: ſin

au-

autem indigni in principio fuerint; in medio veniet, si digni fuerint. Si vero in medio indigni fuerint; venturus in fine est, si digni fuerint. Verum bis milleni isti anni non præteribunt, quin Messias veniat. Pontifex Maximus ait: Quidni dicitis: quodsi digni fuerint Christiani, statim venturum: sin minus dilatum iri adventum ejus ad finem bis millenorum annorum? Respondent Hebræi: Non venturum esse liberatorem, nisi ei, qui in exilio agit. Quì enim alta pace quiescit, quid liberatore opus habet? Liberatore enim eget populus, qui exilium & servitutem ferunt. Hieronymus inquit: Quidni ad interpretationem meam respondetis? Cui contra Hebræi: Et tu, quidni ad nostram interpretationem respondes? Antea enim diximus: A re, quæ prorsus certa non est, demonstrationem certam peti non posse. Cui sententiæ, cum semel Pontifex maximus suffragatus sit, nequaquam committet, ut illi unquam refragetur. Tute scis, summi viri Salomonis Isacidæ interpretationem, huic nostræ plane geminam esse. Hieronymus inquit: Ego, quod initio hoc ipso in loco, pro religione mea intenderam, nunc etiam pertendo: Messiam scilicet jampridem venisse, quem vos venisse præfractè negatis. Itaque vestrum

ſtrum eſt; Illum non veniſſe, idoneis argumentis evincere. Hebræi inquiunt: Penes antiſtites, ſapientiſſimos viros, judicium eſto, utrius ſit, ſententiam ſuam rationibus adſtruere. Imo contra eſt: Cum enim ego, antiquiſſimis temporibus legem Moſaicam acceperim; illius erit, qui me illâ abstrahere conatur, argumenta adverſus eam adducere. Reſponderunt Antiſtites: Ita plane, ut dicitis, res eſt: noſque Hieronymi rationem miramur, qui non legitimè agat, quemadmodum initio promiſerat; rem demonſtraturum ſe eſſe: noſque Pontificis Maximi juſſu ad verum confirmandum huc convenimus. Reſponderunt Hebræi: jam nobis Pontifex Maximus præſtitit, quidquid ab illo petivimus, ſcilicet; Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. De veſtro vero conſeſſu, Antiſtites ſanctiſſimi, pronunciatum oraculo eſt: Et ſalutem tuam da nobis. Non ut Hieronymus exorſus eſt, dicens: Gladio conficiemini. Si vero quis exiſtimat; nos pervicaciter in lege noſtra immotos perſiſtere, propter ſperatam felicitatem, regnumque futurum, quod in ea perſeverantes adepturi aliquando ſumus; næ ille toto errat cœlo. Imperii veſtri fulgor atque gloria, quantum hodie ipſi vidimus, atque adeo ex quo huc primum advenimus,

summa facile, magnificentissimaque nobis visa sunt: neque tamen legem vestram amplectimur, quæ tum vel maximè nobis amplectenda erat; si res aliis omnibus optandas, honores atque divitias peteremus. Præsens enim ista gloria vestra & magnificentia summa, præstat nostræ quantæcunque futuræ. Sed cum lex nostra nobis lata sit, aspectantibus sexcentis hominum millibus, magnis prodigiis, atque gloriosissima divinæ majestatis revelatione, nos putamus nobis nefas esse, legem illam deserere; nisi veniat ipse legislator, & pronunciet: in ipsum credite. Non autem, ut Hieronymus forsan edicere ausit: deserite legem vestram. Sed aliud ille consilium animo agitat; scilicet nobis, ipso autore, ad Christiana sacra desciscentibus, quasi optimè de Christiana republica meritus, ad Episcopalem dignitatem assurgere studet. Sed animorum ille arbiter Deus mentem ejus novit. Respondit Hieronymus: Hæc, quam dixi, mens mea est; scilicet Messiam jampridem venisse. Nec in memorata hac sola Eliæ sententia omne causæ meæ præsidium posui; sed alia sunt majora, quæ huic sententiæ firmandæ magnum pondus afferre possunt. Pontifex maximus ait: Jam dixi tibi, Hieronyme, argumentum hoc vanum esse: nam quod tu dicis alia

esse,

esse, quæ huic sententiæ auxiliari & opitulari possunt; id sane leve est. Miserum illum, cui ad erigendum sese fulcris opus, & propria sua virtute erectus consistere nequit! Vitis quidem ob exilis corporis infirmitatem, adminicula requirit, quo erigat & sustentet se, quibus firmissimi roboris abietes adeo non indigent, ut ipsæ etiam aliis rebus fulcrorum vicem præstent. Tum nos a Pontifice dimissi, læti ad prandium properamus: eo enim die nihil ab Hieronymo actum erat. Postridie, qui disputationis nostræ quartus dies erat, invasit nos Hieronymus ejusdem vatis verbis, supra memoratam sententiam hunc in modum subsequentibus: Dixit vates Elias magistro Judæ: Mundus non paucioribus Jubilæis stabit, quam octoginta quinque, quorum ultimo Jubilæo venturus est Messias. Roganti eum Judæ: In principione Jubilæi venturus est, an in fine? scire se negat. Respondit sapientissimus Mathatias, hæc verba meo quidem judicio minime probant, Christum esse Messiam: Imo nec illo tempore venit Christus; cujus adventum, initâ temporum ratione, in ultimum Jubilæum non incidisse comperies. Hieronymus ait: Ego initio non dixi, Christum esse Messiam; sed Messiam jampridem venisse dixi: venerit autem

 ante

ingenio ipſe cudit. Adverſarius quiſpiam contendat: omnia illa verba a principio uſque ad finem ipſius ſanctiſſimi vatis Eliæ eſſe: idque adeo, ut contra diſputantem opinionem ſuam ipſe quoque confirmet: niſi vero jam alteruter interpretationis ſuæ certam atque indubitatam rationem aliquam, aut divinum oraculum habeat, utique lis ipſa ſemper in ambiguo erit. Et quomodo inde Hieronymus, quod voluit, certo efficiat? Objiciat enim adverſarius: Quoſid tu propoſitam quæſtionem ſola tua interpretatione certo demonſtrare ſtudes; ego aliam interpretationem adferam, & ſic nihil demonſtraveris. Quod ſi quæras ex me, unde meam interpretationem adferam; quæram contra ex te, unde tu afferas tuam? Porro autem, cum ille nos noſtro Thalmude urgeat, certe noviſſe eum oportet: Hanc Thalmudis noſtri rationem eſſe, ſi ad ſententiæ alicujus interpretationem, quæ prorſus neceſſaria non eſt, adverſarius objecerit, fortaſſe rem aliter, ac ipſe interpretatur, ſeſe habere &c. nec interpretationis ſuæ fidem idoneis argumentis adſtruat, rem totam veluti inter dubitationum ſcopulos impulſam in ambiguo relinqui, donec interpretationis autor, alio multo efficaciori atque indubitato prorſus argumento ſententi-

am

am suam adversário approbaverit. Præterea verisimilius est, unam hanc integram sententiam ab uno autore, quam a duobus fuisse profectam. Quod si forte postrema sententiæ verba alterius autoris sint, ut hic videri vult Hieronymus; consuevit Thalmud disertim addere, ut auctorem prodat: Hoc dixit Magister Asius, aut alius quispiam; quod & in hac sententia fecisset: Propter innumera crimina nostra præterlapsi sunt tot anni, sine adventu Messiæ, quot ex ultimis bis mille annis præterlapsi fuerunt; si ea alius autoris fuissent. Diximus etiam initio Pontifici maximo: Eum, qui venit considerandum esse, utrume Messiæ conditiones habeat; an non. At si in viro illo, qui jam venit, conditiones, quæ Messiæ propriæ sunt, deprehendantur; tum demum supra memorata verba Hieronymi interpretationem admittent. Si vero conditiones Messiæ in illo non appareant; utique nostra interpretatio vera erit. Pontifex maximus ait: Procul dubio verum dixistis; nam, qui rem aliquam demonstrandam suscepit, necesse est, id agat argumento certissimo, planeque necessario, quod minime anceps aut ambiguum esse videatur. Respondit Hieronymus; Maxime Pontifex, causa mea non solo hoc unius sententiæ præsidio nititur;

ſed complures quoque alias ſententias habeo. Cui Pontifex maximus ait: Jam a more Chriſtianis in diſputando uſitato ad Judæorum morem tranſfugiſti; qui uno latere feſſi, mox ſeſe in alterum latus convertunt: at nihil tergiverſantem ad verba Judæorum, de propoſita hac ſententia reſpondere te decet. Subjicit Hieronymus: Nonne multo tempore ante Judæorum exilia venit Elias? Proinde neceſſario conſequitur, verba illa, Et propter innumera peccata noſtra, & quæ ſequuntur: Non ipſum Eliam; ſed alium aliquem dixiſſe, qui ipſe in exilio fuerit. At dicat hic aliquis: Diſcipulos ejus illa verba adjeciſſe. An non diſcipuli ejus illi tempore proximi, multo ante veſtra exilia fuerunt? Unde neceſſario efficitur: verba illa, Et propter innumera peccata noſtra: Thalmudicos magiſtros pro opinione ſua, quemadmodum oſtendi, aſſuiſſe. Cl. Vidael reſpondens, ait: Maxime Pontifex, dixerint ſane, ut Hieronymus contendit, illa Thalmudici magiſtri: nos accedamus ad ipſa Eliæ verba, quæ ſic habent: Et bis mille anni dies Meſſiæ. Si itaque jampridem venit Meſſias; tum dixiſſe illum oportuiſſet; exeuntibus quater millenis annis veniet Meſſias: aut ineuntibus quinquies millenis: aut alio certo tempore Meſſias veniet. Verum univerſim dixit:

dixit: Ultimis bis mille annis. Itaque fieri poterit, ut ille ſub finem eorum veniat. Reſpondit Hieronymus: Imo Eliæ vatis ſententia eſt, totum hoc bis mille annorum ſpatium Meſſiæ tempus futurum: quo exacto, continuo mundum periturum. Cui contra M. Joſephus Albus ait: Objicis tu quidem, quæ objeciſti dudum: quibus repetita priori reſponſione occurri poteſt: quod ipſum jam conceſſit Pontifex Maximus; videlicet alia cum ſit quoque interpretatio, tuam iſtam haud neceſſariam eſſe. Præterea Thalmudici Magiſtri, quorum armis nos evincere conaris, ipſi hanc ſententiam Thalmudi inſeruerint, non ut menti & opinioni ſuæ contrariam; ſed potius convenientem: quoniam ipſi palam dictitantes, tradiderunt: Duos temporis terminos adventuro Meſſiæ præfinitos eſſe: aut tempus, quod Deus juravit: aut tempus, quo Judæi ad excipiendum Meſſiam parati vitæ male actæ rite pœnitentiam egerint. Proinde ſententia iſta non certo temporis articulo adventum Meſſiæ adſtrinxit; ſed ſolummodo dixit: Et bis mille anni dies Meſſiæ. Senſus eſt, bis mille iſti anni ſunt apti, quibus Meſſias veniat. Si digni Judæi fuerint, veniet in principio: ſin au-

autem indigni in principio fuerint; in medio veniet, si digni fuerint. Si vero in medio indigni fuerint; venturus in fine est, si digni fuerint. Verum bis milleni isti anni non præteribunt, quin Messias veniat. Pontifex Maximus ait: Quidni dicitis: quodsi digni fuerint Christiani, statim venturum: sin minus dilatum iri adventum ejus ad finem bis millenorum annorum? Respondent Hebræi: Non venturum esse liberatorem, nisi ei, qui in exilio agit. Qui enim alta pace quiescit, quid liberatore opus habet? Liberatore enim eget populus, qui exilium & servitutem ferunt. Hieronymus inquit: Quidni ad interpretationem meam respondetis? Cui contra Hebræi: Et tu, quidni ad nostram interpretationem respondes? Antea enim diximus: A re, quæ prorsus certa non est, demonstrationem certam peti non posse. Cui sententiæ, cum semel Pontifex maximus suffragatus sit, nequaquam committet, ut illi unquam refragetur. Tute scis, summi viri Salomonis Isacidæ interpretationem, huic nostræ plane geminam esse. Hieronymus inquit: Ego, quod initio hoc ipso in loco, pro religione mea intenderam, nunc etiam pertendo: Messiam scilicet jampridem venisse, quem vos venisse præfractè negatis. Itaque vestrum

ſtrum eſt; Illum non veniſſe, idoneis argumentis evincere. Hebræi inquiunt: Penes antiſtites, ſapientiſſimos viros, judicium eſto, utrius ſit, ſententiam ſuam rationibus adſtruere. Imo contra eſt: Cum enim ego, antiquiſſimis temporibus legem Moſaïcam acceperim; illius erit, qui me illâ abstrahere conatur, argumenta adverſus eam adducere. Reſponderunt Antiſtites: Ita plane, ut dicitis, res eſt: noſque Hieronymi rationem miramur, qui non legitimè agat, quemadmodum initio promiſerat; rem demonſtraturum ſe eſſe: noſque Pontificis Maximi juſſu ad verum confirmandum huc convenimus. Reſponderunt Hebræi: jam nobis Pontifex Maximus præſtitit, quidquid ab illo petivimus, ſcilicet; Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. De veſtro vero conſeſſu, Antiſtites ſanctiſſimi, pronunciatum oraculo eſt: Et ſalutem tuam da nobis. Non ut Hieronymus exorſus eſt, dicens: Gladio conficiemini. Si vero quis exiſtimat; nos pervicaciter in lege noſtra immotos perſiſtere, propter ſperatam felicitatem, regnumque futurum, quod in ea perſeverantes adepturi aliquando ſumus; næ ille toto errat cœlo. Imperii veſtri fulgor atque gloria, quantum hodie ipſi vidimus, atque adeo ex quo huc primum advenimus,

ſumma facile, magnificentiſſimaque nobis viſa ſunt: neque tamen legem veſtram amplectimur, quæ tum vel maximè nobis amplectenda erat; ſi res aliis omnibus optandas, honores atque divitias peteremus. Præſens enim iſta gloria veſtra & magnificentia ſumma, præſtat noſtræ quantæcunque futuræ. Sed cum lex noſtra nobis lata ſit, aſpectantibus ſexcentis hominum millibus, magnis prodigiis, atque glorioſiſſima divinæ majeſtatis revelatione, nos putamus nobis nefas eſſe, legem illam deſerere; niſi veniat ipſe legiſlator, & pronunciet: in ipſum credite. Non autem, ut Hieronymus forſan edicere auſit: deſerite legem veſtram. Sed aliud ille conſilium animo agitat; ſcilicet nobis, ipſo autore, ad Chriſtiana ſacra deſciſcentibus, quaſi optimè de Chriſtiana republica meritus, ad Epiſcopalem dignitatem aſſurgere ſtudet. Sed animorum ille arbiter Deus mentem ejus novit. Reſpondit Hieronymus: Hæc, quam dixi, mens mea eſt; ſcilicet Meſſiam jampridem veniſſe. Nec in memorata hac ſola Eliæ ſententia omne cauſæ meæ præſidium poſui; ſed alia ſunt majora, quæ huic ſententiæ firmandæ magnum pondus afferre poſſunt. Pontifex maximus ait: Jam dixi tibi, Hieronyme, argumentum hoc vanum eſſe: nam quod tu dicis alia

eſſe,

esse, quæ huic sententiæ auxiliari & opitulari possunt; id sane leve est. Miserum illum, cui ad erigendum sese fulcris opus, & propria sua virtute erectus consistere nequit! Vitis quidem ob exilis corporis infirmitatem, adminicula requirit, quo erigat & sustentet se, quibus firmissimi roboris abietes adeo non indigent, ut ipsæ etiam aliis rebus fulcrorum vicem præstent. Tum nos a Pontifice dimissi, læti ad prandium properamus: eo enim die nihil ab Hieronymo actum erat. Postridie, qui disputationis nostræ quartus dies erat, invasit nos Hieronymus ejusdem vatis verbis, supra memoratam sententiam hunc in modum subsequentibus: Dixit vates Elias magistro Judæ: Mundus non paucioribus Jubilæis stabit, quam octoginta quinque, quorum ultimo Jubilæo venturus est Messias. Roganti eum Judæ: In principione Jubilæi venturus est, an in fine? scire se negat. Respondit sapientissimus Mathatias, hæc verba meo quidem judicio minime probant, Christum esse Messiam: Imo nec illo tempore venit Christus; cujus adventum, initâ temporum ratione, in ultimum Jubilæum non incidisse comperies. Hieronymus ait: Ego initio non dixi, Christum esse Messiam; sed Messiam jampridem venisse dixi: venerit autem

 ante

ante decem annos, an ante decem dies, non quidem laboro. Tum Hebræi, rem, maxime Pontifex, diligenter cognoſcas, atque ſuper ea judicium feras: niſi enim Chriſtum Meſſiam fuiſſe dixeris, in quo aliqua majeſtatis & ſapientiæ ſigna eluxerunt; quemnam alium eſſe dicas: ſtultumne illum Matthæum, an delirum iſtum Maroiſten? Pontifex Maximus inquit: Nonne cernitis, Hieronymum popularem veſtrum vos fraude eſſe aggreſſum? Quodſi dixeritis, jam pridem Meſſiam veniſſe, quemadmodum ex Eliæ ſententia apparet; tum vicerit Hieronymus. Si vero dicatis, fieri quidem poſſe, ut venerit ille; ſed eum non eſſe Chriſtum: tum vos rogabit idem, quod modo illi objeciſtis; Mattoné eſt, an Pico? Dixerunt Hebræi, recte Pontifex maximus rem perſpexit, nos certe parum ſenſimus, Hieronymum arte & fraude nos populares ſuos tentaſſe. Hinc Mathatias Hieronymo ait: Sapientiſſime Hieronyme, dum ex Thalmude noſtro argumenta petis ad probandum Meſſiam jampridem veniſſe, quid cauſæ eſt, quod non etiam ex ipſo Thalmude contrarium aſſeras? ſcriptum enim in illo eſt: Male pereant illi, qui temporum articulos ſupputant; quibus venturus Meſſias eſt. Pontifex maximus ait: jamdiu hanc audivi ſententiam,

tiam,

tiam, cujus interpretationem usque desideravi. Magister Mathatias inquit: Hic cum clarissima sint verba, nullam interpretationem habemus: haud enim obscure liquet, verba illa eum execrari, qui numeris dispositis Messiæ adventum inquirit, atque in vulgus prodit, quæ res genti nostræ magnæ calamitatis causa est. Nam si definito tempore non veniat Messias; desperant & animum abjiciunt, qui salutem diu per eum sperarunt: seq; compedibus quasi vinctos in perpetuo spei carcere detineri credunt. Preterea magnum temeritatis crimen admittunt, qui grande illud arcanum a Deo omnibus gentibus, omnibusque vatibus celatum eruere atque vulgare conantur. Hæc oratio stomachum movit Pontifici, adeo ut in hæc verba erumperet: O gentem Hebræorum stupidam atque abjectam! O insanos magistros Thalmudicos! Num ergo maximum vatem Danielem,. qui præfinitum Messiæ tempus ad calculos revocavit, diris devovere oportet, ut sacrum & detestabile caput, quod Dii Deæque omnes perduint? Hoc luculento argumento est, vos & Thalmudicos magistros improba capita esse. Cui M. Todrus respondit: Maxime Pontifex, quod si Thalmudici magistri tantum tibi desipuisse videntur, quid attinet ergo ab illis argu-

menta petere ad probandum Messiam jampridem venisse? A stultis argumenta petere, certe stultissimum est. His verbis camino, quod ajunt, oleum additum, magisque exacerbatus Pontifex est. Tum Clar: Vidael dicere est orsus: Maxime Pontifex, haud convenit, te virum sanctissimum gravius commoveri hac disputatione, præsertim cum cuivis libere loquendi data sit potestas. Si quid forte a nobis erratum, aut imprudentius dictum videri potest, id precibus hisce supplices eluimus: Psal. LXXXV: vers 8. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Pontifex ait: Nolite existimare, vos varia orationis ambage me in aliam materiam deducturos; quin respondete ad dictam modo sententiam, quæ hæc erat: Male pereant illi, qui numeris venturi Messiæ tempora indagant. Hic Clar: Vidael inquit: Vox Hebraica מחשב proprie numeratorem, & qui rem aliquam ex numeris elicit, significat. Verum vates, aut qui Numine afflatus oracula fundit, non numerator; sed spectator appellari solet, ut sacra pagina docet: 1. Sam. c.ix.v.17. Ubi est domus videntis sive spectatoris? Quia ipse vates in oraculo rem ipsam, non numerare; sed vere spectare solebat. Hoc responso Pontifex mitigatus, nos recte dixisse affirmat: hanc enim germanam sententiæ

mentem

mentem videri, atque sic reconciliato Pontifice eo die digressi sumus. Postridie ex more revertimur; sed hic minime prætereundum est, domi nostræ magnam litem ortam fuisse inter nos & inter Magistros Mathatiam & Todrum, quod non cautiores fuissent & linguæ temeritatem prudentia aliqua temperassent. Reversi Hieronymo diximus: sapientissime Hieronyme, quandoquidem hucusque visum est, argumenta ab Æmoræis petere, quibus probares, Messiam jampridem venisse: quidni in medium profers omnium ordine postremi; sed sapientia facile principis hæc illustria M. Asii verba? Usque ad ultimum Jubilæum Messiam ne expectes, post illud deinceps porro eum expecta. Ex eo clare liquet, eopse Asii tempore Messiam nondum venisse. Respondit Hieronymus: Jamdudum disertim inculcavi vobis, non petendum esse argumentum ab eo, qui Messiam venisse negat: ea enim M. Asius pro suo ingenio atque præjudicata opinione dixit. Verum ad priorem sententiam quod attinet; eam sanctissimus vates Elias pronunciavit: atque ille, ut vates veri conscius, & futuri certus, hoc effatus est. Tum Hebræi consurgentes ajunt: sapientissime Hieronyme, dicas nobis M. Asius utrum ingenio subtilis, an crassus? probus, an improbus fuerit?

Respon-

Respondit Hieronymus: anilis sane ista quæstio est: Omnino extra controversiam est, sapientem & probum virum fuisse, quod præclara viri dicta satis superque arguunt. Hebræi inquiunt: Cum igitur, quod tute fateris, vir sapiens atque pius fuerit; quare sanctissimi vatis Eliæ sententiæ refragatur? Certe alterutrum fateare necesse est: aut ipsum Eliam, cujus nomine hæc sententia circumfertur, non fuisse verum illum vatem Eliam; sed alium quempiam vecordem hominem, qui fatuam hanc sententiam suam, sub falso vatis Eliæ nomine incautis mortalibus obtruserit: aut ipsum fuisse germanum illum vatem Eliam, & M. Asium sententiæ mentem vere assecutum tradidisse id, quod tradidisse dicitur. Alioqui, si de dicti illius sententia dubitasset; magna religione rem, quam parum intellexisset, amplificatam atque exaggeratam magis in medio reliquisset. Num nos ipso sapienti Asio sapientiores videri volumus? Respondit Hieronymus: Fingamus hanc genuinam verborum illorum sententiam esse; quid vero ad alteram sententiam de numero Jubilæorum respondetis? quæ præter eam, quam dedi, nullam aliam interpretationem admittit. Ad quæ M. Josephus Albus respondens dixit: Hæc illius sententiæ mens est: Mundum non duraturum minus quidem, quam

octoginta

octoginta quinque Jubilæa; ſed plura durare poſſe. Veluti ſi quis licitanti dicat, minoris, quam viginti aſſibus hanc rem non addicam, is ex dicti hujus religione minime prohibetur, quo minus quadraginta aut quinquaginta aſſibus eam rem emtori vendere poſſit. Sic fieri poteſt, ut mundus longe pluribus conſtet Jubilæis, quamvis paucioribus conſtare non poſſit, ſed in ultimo Jubilæo venturum eſſe Meſſiam. Sacri Antiſtites ajunt: o Joſephe, te quidem interprete, incertum erit Meſſiæ tempus. Reſpondit M. Mathatias: Hoc nobis minime mirum videtur, cum nec vos ipſi habeatis certum Meſſiæ tempus. Elias ipſe quippe dixit, quem tu hic potiſſimum audiendum eſſe modo tam acriter contendebas; Bis mille anni erunt dies Meſſiæ. In medio diſputandi ardore dum verſamur, animadvertimus forte, omnia verba noſtra publicis tabulis conſignari, rei novitate perculſi metuebamus, ne ex verbis noſtris per ſcribas ſtudio depravatis, poſtea occaſionem criminandi nos Pontifex arriperet, noſtro quaſi gladio nos jugulaturus; nec cauſari auſi fuiſſemus, ſcribam verba corrupiſſe, qui quidem publicus Pontificis ſcriba eſſet. Hinc conventum inter nos, ut cautè loqueremur, & quantum fieri poſſit, taceremus; verum non noſtro; ſed Pon-

tificis animo mos gerendus erat; imperaverat enim ille, ut Hieronymo ad omnia responderemus: Imperium detrectantibus certa mors parata erat. Hinc initum a nobis consilium est, ut non nisi unus de nostro numero loqueretur; & si Pontifici oratio illius placeret, bene esse: sin minus; diceremus, illum suo, non nostro omnium nomine respondisse: si quid erraverit ille, ipsi soli id imputandum; nos ab illo dissentire: Atque sic illo quoque die, finita est disputatio. Postridie nos trepide reversos Hieronymus alia sententia aggreditur, cujus hæc verba sunt: Virum quendam agros colentem, cum unus boum ipsius mugiret, forte Arabs quispiam illac præteriens, rogat: quisnam ille esset? Agricolæ se Judæum esse respondenti ait Arabs: solve boves tuos aratro. Causam roganti: sacram Judæorum ædem eversam esse ait. Ei unde ipsi hoc constaret instanti, se ex bovis illius mugitu id cognovisse dicit. Hæc dum cum Judæo loquitur Arabs, bos iterum mugit. Quo audito Arabs inquit: Junge boves tuos aratro tuo, quia natus est Judæorum Messias. Judæo Messiæ patrisque ipsius nomen interroganti, Messiam Menachem, patrem vero Hizkiam appellari respondet. Cum & urbem patriam ubi habitarent sciscitaretur;
eam

eam Betlehemam Judæ vocari dicit. Ex eo Judæus ille boves aratrumque ſuum vendidit; emtis vero veſtibus, quas infantes induere ſolent, urbes atque regiones mercator percurrit, donec tandem Betlehemam pervenit. Veſtes ab illo redimunt cives univerſæ, excepta ſola Meſſiæ matre: Quæ cum eam Judæus rogaret: quidni & ipſa veſtes infanti ſuo emeret? reſpondet. Infans meus infelicibus auſpiciis, infelicique omine natus eſt. Cauſam roganti ait: Eo nato ſacram ædem ſubito dirutam eſſe. Cui inquit ille: Promiſit nobis Deus, mundi conditor: Eo quidem naſcente ſacram ædem dirutum iri; ſed tamen eo etiamnum vivente, denuo inſtauratum iri. Tu vero hinc veſtes infanti tuo accipe, ego poſt dies aliquot domum tuam veniam, pretium accepturus. Illa veſtes ſumit; Judæus abit. Qui aliquot diebus interjectis, viſere infantem quid agat, ſtatuit. Veniens proinde ad matrem pretium accepturus, rogat, quid agat infans: reſpondet illa: Nonne dixi tibi, infantem meum, infelicibus auſpiciis, infauſtoque omine natum eſſe? neque ipſi etiam fata pepercêre. Ex eo enim momento, quo tecum locuta, venti atque procelloſi turbines ſuborti eum abſtulerunt. Judæus ait: Nonne dixi tibi: Eo nato ſacram ædem eſſe deſtructam, eo-

que vivo restitutum iri. Ex hoc loco perspicuum est, quod vos negare certe nefas erit, quo die excideretur templum Hierosolymitanum, natum esse Messiam. Respondet sapientissimus Astrocus: Hæc verba jam olim viri facile principes & mundi lumina disputarunt, videlicet M. Girona cum Monacho Paulo. Hoc vero in controversiam veniebat: Utrum Judæi jure vocari possint Cananæi? Paulus probare conatus est, Judæos vocari posse Cananæos, quia Cananæorum facinora atque flagitia imitarentur, ipsorumque terras incolerent. Christianos vero Israelis nomine appellandos esse, quia Israelitico populo successissent. Pontifex maximus ait: Quid ad illa M. Girona? Hæc ipsius responsio fuisse dicitur: Qui fratri suo succedit, ejus rarissima bona hæreditate accipere debet. Si Christiani nobis Judæis successerunt, cur non pretiosissima quæque bona nostra hæreditatis jure consecuti sunt, ut Oracula, ignem cœlo descendentem, Urim & Thummim, aliaque? Nos Hebræi enim, ex quo tempore illa amisimus, apud nullam aliam gentem ea esse cognovimus. Unde constat; Deum conservaturum, quæ primum dona dedit, nobis forte resipiscentibus aliquando restituenda. Roganti Pontifici, coram quo habita fuerit illa disputatio?

putatio? Coram optimo Rege Petro ſeniori habitam eam eſſe reſponſum eſt. Porro inſtanti: quid monachus Paulus Magiſtro Gironæ reſponderit; Paulus conticuiſſe dicitur. Tum Pontifex Maximus ait: Fuerit ſane Rex ille optimus, meo tamen judicio ſapiens minime fuit. Neque etiam Pauli ſilentium magnam ſapientiam arguebat: dixiſſe ille certe potuiſſet; Nobis Chriſtianis dona illa poſt Servatoris noſtri adventum ſupervacua omnino eſſe; qui majus quippiam atque divinius multo, animarum ſalutem dico, nobis pollicitus eſt: in primi noſtrum omnium parentis Adami locum venit, ut patrum animas liberaret. Utut eſt, adhuc nihil reſponſum fuit ad illam ſententiam, qua Meſſias jam olim natus eſſe dicitur. Reſpondet Cl. Vidael: Magiſter Girona ita eam expoſuit; non actu ſed potentiâ, ut ita dicam, natum eſſe Meſſiam. Concedamus ſane ſupra memoratam ſententiam Meſſiam actu natum dicere: hoc nequaquam cauſam noſtram convellit, aut evertit. Poteſt enim eo die natus fuiſſe, & in Paradiſo vivere. Meimonides autem negat, natum eſſe Meſſiam eo die; quo everſum eſt templum; affirmans hanc genuinam eſſe verborum ſententiam: Ex eo die & deinceps

porro

porro in quavis ætate natum esse aliquem virum, qui Messias esse potuisset, si modo Judæi digni fuissent: Addit præterea autorem hac sententia Hebræos ad vitæ emendationem incitantem indicare voluisse: Messiæ adventum, non ut olim Babylonicum exilium, certis temporum terminis circumscriptum esse. Cl. Chasdæus quoque verba illa hoc sensu accepit. Pontifex ira percitus ait: Profecto non adestis, ut nobis vestrorum interpretum placita enarretis: sed ut ipsi respondeatis, quid vos ipsi de Messiæ adventu sentiatis. Quid mihi cum majorum vestrorum interpretationibus, quæ ineptæ atque aniles sunt? fabulantur enim natum esse Messiam, nec venire tamen. Si adventus Messiæ pendet ex bonis Judæorum operibus, quorsum itaque natus est? Differenda potius ipsius nativitas erat, & in illud tempus proferenda, quo digni Judæi paratique fuissent. Responderunt Hebræi: si digni sint hodie Judæi, & nascatur hodie Messias, num infans unius diei Israëlitas ducere poterit? Nonne Moses licet octogenarius opus tamen habuit auxilio summi Numinis, fratris sui & septuaginta senatorum? Pontifex ait; illud mirum videri non debet: cum sexcenta essent hominum millia & amplius. Hebræi respondent, ubi

ubi ſumma adeſt prudentia, nihil opus eſt rectore: ipſa enim prudentia homini merito rectoris vicem præſtat. Atque ſeculum illud Moſaïcum, quemadmodum in Thalmude diſcimus, prudentiſſimorum virorum feraciſſimum fuit, ut qui nunc prudentiæ famâ inter primos ſunt, olim apud illos vix in poſtremis hærere potuiſſent: noſtrum enim unus decem ſæpe rectoribus indiget ob prudentiæ egeſtatem. Pontifex maximus ait: Hoc vobis facile concedo, ſingulos Judæos ſingulis Regibus, ſinguliſque judicibus opus habere. Sed ad propoſitam quæſtionem unde digreſſi ſumus revertamur. Tum Romanus quiſpiam Judæus ita orditur: Maxime Pontifex, vocabula quædam ambigua eſſe Chriſtiani affirmant, neque inficiantur Hebræi, inter quæ verbum נולד Nolad referri debet; quemadmodum ſacræ literæ demonſtrant: Pſalmo xc: ver. 2. Priuſquam montes naſcerentur & formaretur terra & orbis, a ſeculo uſque in ſeculum tu es Deus. Prover. cap. xxvij: ver. 1. Ne glorieris de die craſtino, quia neſcis, quid pariturus ſit dies. Job. xv: ver. 35. Concepturus eſt dolorem & iniquitatem pariet; atque uterus ejus dolum præparabit. Hic verbum illud uſurpatum ambigue, ſcilicet בטרם הרים ילדו gemino ſenſu intelligi poteſt. Antequam na-

ſcentur

ſcentur montes, & antequam nati fuerunt. Verum enimvero intelligenda ea ſunt, quatenus mente atque animo præcepta fuerunt. Pari modo accipienda ſunt verba illa Eſaiæ cap. xi: vers 34. Libanus, (quem ſacram ædem intelligas,) ferro forti cadet. & cap. xij: vers 1. Et egredietur virga de ſemine Iſſai, & ſurculus de radicibus ejus creſcet. Verba iſta non tradunt, neque ex illis evidenti aliquo argumento probari poteſt; quod illud continuo fieri debeat: fieri enim poteſt, ut multo tempore poſt demum virga illa egrediatur. Quin ſacræ literæ filios Iſraëlis propter ſacræ ædis excidium ſolari voluerunt, atque ſimul etiam docere: Eos tandem ad priſtinas ſedes atque faſces denuo redituros eſſe. Quodſi verſus iſte hoc modo accipi poteſt, quis ſententiæ illius autori poteſtatem fecit; ut Meſſiam continuo venturum eſſe pronunciet? Sed apparet potius Meſſiæ adventum, ut rem omnibus optatiſſimam animo ipſius anticipatam fuiſſe; quemadmodum ipſi magiſtri Thalmudici docuerunt: Septem res mundi ortum anteceſſiſſe: quarum una eſt nomen Meſſiæ: tradiderunt etiam ipſam creationis vocem, antequam in rerum natura quidquam exiſteret, a Deo animo fictam atque conceptam fuiſſe: Quia antequam hæc univerſi machina creari poſſet, creatio-

nem

nem ejus animo concipi necesse erat; ut sic mortales ad Dei cognitionem perducerentur. Pari prorsus ratione dicamus, eo die, quo famosa illa ædes Hierosolymitana eversa fuit, a Deo Messiam animo fictum atque conceptum fuisse: sed non dignos fuisse Hebræos, ad quos continuo ille veniret: quia primis etiam peccatis necessarium adhuc fuit calamitosum illud erroris flagellum, quo assiduis erroribus vitæ suæ crimina prorsus expiare coguntur. Tum eo die disputare cessatum est: Postridie reversi Hieronymum ita affamur: Versio Chaldaica, quam Thargum dicunt, vocem אתילד usurpat, ubi in textu Hebraico נולד legimus; quod nihil significat aliud, quam nascetur: quemadmodum ex hoc loco: Ecce natus est filius filio Isai, clarissime liquet: Natum esse dicit, cum tamen quingentis post annis demum esset nasciturus. Respondit Hieronymus, vox נולד nihil quidem certi demonstrat; ea enim aut natum, aut nasciturum significat. Ad hæc nos universi exclamamus: Id ipsum esse, quod nos contendimus. Nos enim posteriorem significatum, scilicet nasciturum esse amplectimur. Atque sic tua illa interpretatio, natum esse, non necessaria erit. Adeoque argumentum, quod finxisti, frivolum est atque inutile. Tum Hiero-

nymus ante dictorum suorum aciem a nobis destructam atque disturbatam, denuo sed frustra in ordinem redigere conatus est. Hinc incredibili pudore suffusus, rationibus prolixis; sed a foro nostro alienis, acriter certare cœpit. Subolebat autem universis, Hieronymum argumenta sua jam nobis diluta atque confutata, denuo in campum revocare studere. Nos probe confutato jam Hieronymo, ex re nostra esse duximus, hic gloriose disputationis cursum potius sistere, quam postea turpiter forsan desinere. Proinde viros facile principes, præsulesque non paucos auro corrupimus; illos, ut Pontificem maximum de incidenda disputationis tela compellarent; hos, ut idem obnitenti Hieronymo persuaderent; sed pulcherrimum hoc consilium frustra fuit. Pontifex maximus enim responderat: Hieronymum, quod probaturum se promisisset, vel invitum evincere debere. Postridie, quo legi atque explicari inter nos solet textus ille Deut. cap. xxv a vers. 17 usque ad caput xxvi Memento eorum, quæ fecit tibi Amalec in via, quando egressi estis ex Ægypto. Pontifex Maximus nos ita affatur: Vos Hebræi anilibus ineptiis nos odiose hic detinuistis, quis enim sanæ mentis dixerit: Cum natus sit Messias, tot annos illum in aliquo Paradisi angulo abditum

latitare

latitare atque hærere? Quid, nonne fabulosum esse videtur, Messiam ad mille quadringentos annos vitam producere? Respondimus nos: huic quæstioni jampridem a monacho Paulo motæ per magistrum Gironam hunc in modum obviam itum fuisse: primum hominem Adamum mille annos circiter vixisse: quodsi Adamo tot annos vivere concessum fuit; quid obstat, quo minus quis plures etiam vivere possit? Nec itaque, cum Messiam tot seculis latentem non viderimus, eum vivere fabulosum esse, temere dicamus. Nonne hodieq; inter nos majorum nostrorum fides famâ celebratur tradentium, in Paradiso etiamnum Enochum atque Eliam superstites esse? Ad hæc Pontifex Maximus ait: Hoc non est sententiam probare; sed dubiis dubia asserere velle, quod ipsum non minus absurdum esse videtur. Tum M. Astrocus inquit: Maxime Pontifex; cum vos plurima absurda de Messia vestro credatis, liceat etiam nobis unum de Messia nostro absurdum credere. Quibus verbis Pontifex Maximus ita fuit exacerbatus, ut metueremus, ne in nos miseros furiarum ignes & fulmina eructaret. Quo animadverso diximus: Maxime Pontifex, minus prudenter profecto locutus est popularis noster; sed quæcunque dicta sunt, nobis invitis; non serio illi, sed velut joco dicta excidisse

 existi-

existimes: ipsum minime quidem ita locutum fuisse decuit, siquidem non cum Pontifice, quemadmodum inter nos familiariter solemus, jocari fas est. Sed hic denuo repetimus illud, quo bene ominati disputationis campum ingressi sumus: Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Hinc domum abeuntes universi M. Astrocum acriter corripimus, exprobrantes, eum mali, siquod nobis eveniat, autorem esse, ut qui maledictis inimicos in perniciem nostram armaverit: neque in has leges inter nos conventum esse, ut quis tantæ linguæ intemperantiæ indulgeret, quantam ipse imprudens prodidisset. Omnia nobis ex voto, imo supra votum fluebant: cum Pontifex maximus a nobis magis, quam ab Hieronymo stare videretur. Nunc vero illo infenso, quem præter Deum causæ nostræ patronum habituri sumus? nec certe in prodigio aliquo salutis spem collocare licebit; cum adeo sint dubia atque incerta pietatis nostræ merita. Eo itaque die pudore atque dolore confusi diffugimus. Postridie tamen trepidi reversi, Diis propitiis Pontificem Maximum vultu animoque benigniorem offendimus. Hic Hieronymus dicere orsus est: Si vos Hebræi, actu natum esse Messiam creditis; tum vobis, eum

eum quoque revelatum esse, probabo. Responderunt legati: Non credimus nos actu natum esse Messiam; sed diximus, fortassis sententiæ illius autorem ita sensisse. Pontifex Maximus inquit: Cujus loci autoritate, Hieronyme, natum atque revelatum esse Messiam probabis? Ad hæc Hieronymus: Maxime Pontifex, Magister Samuel in Thalmudico opere in quæstionis modum ita pronunciasse dicitur: Unde probas eo die, quo eversa est sacra ædes, natum esse Messiam? Quia sacrum Oraculum ait: Esaiæ cap. LXVI. versu VII. Antequam parturiet, peperit: Quæ verba Jonathan interpres hunc in modum reddidit: Antequam veniet angustia, liberabimini: antequam oborietur tempestas illa, qua evertenda est sacra ædes, revelatus est Messias. Quibus verbis Messias & natus, (prout Oraculum habet: Antequam parturiet, sive partus doloribus (mulier) discruciabitur, peperit.) et revelatus esse dicitur, interprete Jonathane, Antequam oborietur tempestas illa, qua evertenda est sacra ædes, revelatus est Messias. Responderunt legati: Thargum Jonathanis non est ipsa sententia, quam dixerunt sapientes Æmoræi. Aliud enim est sententia M. Samuelis, & aliud est Thargum sive versio Chaldaica Jonathanis, cui nihil aliud di-

cere propositum fuit, quam venientem Messiam subito venturum esse, perinde ac mulier subito parit, prout dictum est: Antequam parturiet, sive partus doloribus discruciabitur, peperit. Neque vero Jonathan idem, quod M. Samuel dicere studuit: imo indicare voluit, Messiam, cum veniet, subito venturum esse. Quod ipsum jam olim sapientes nostri his verbis clarissime proposuerunt: Tria scilicet mortalibus insperato & inopinato obvenire; Primum serpentem, qui incautis mortalibus clam obrepens inopinato conspicitur. Deinde rem inventam, quam quis forte præter spem reperit: Postremo ipsum Messiam, qui subito venturus est. Pontifex maximus ait: Mihi satis est, vos Messiam natum esse fateri. Nos vero legati respondimus: absit nos hoc dicere; quin e contrario Samuelem ejus sententiæ autorem erroris atque delirii damnamus. Thargum enim, quod Spiritus Sancti dictamine conscriptum est, non dixit idem, quod M. Samuel pronunciavit. Imo potius divinum oraculum declaravit dicens: Messiam, cum veniet, subito venturum esse. Hoc vero illud est, quod nos & universi Judæi concordes credimus. Nempe si mortalium aliquis veniat, & Judæos per universum orbem dispersos colligens, in patrias

patrias ſedes reducat, ſacram ædem conſtruat, ad quem etiam omnes gentes unum Deum invocaturæ certatim concurrant; tum eum noſtrum eſſe Meſſiam palam pronunciabimus. Omni vero ſententiæ, quæ contrarium dicit, peculiaris ſuus ſenſus eſt. Quin illa ipſa etiam ſententia, quam Hieronymus ſupra adduxit, inter alia etiam hæc verba habet: Eo vivente ſacra ædes inſtaurabitur. Mihi certe ædem illam monſtrari velim, quæ Chriſti ſive Meſſiæ veſtri tempore conſtructa fuerit. Ad quæ verba, cum Hieronymus, quod reſpondere poſſet, non haberet, ad alia dilapſus, uberius expatiatus eſt. Inde ad aliquot dies diſputatio eſt intermiſſa, donec nos die decimo quinto Februarii Pontifex maximus denuo accerſi jubet. Nobis præſentibus Pontifex Samuelis ſententiam, qua Meſſiam natum eſſe tradit, denuo repoſuit. Orſus enim eſt dicere Pontifex: Hac nocte demum perpendi, Hebræi; quam nos verborum flexu & ſignificatus incerti vertigine eluſos deceperitis, dictitantes vocem נולד Nolad ambiguam eſſe, quæ gemino ſignificatu pollens, NATUM & NASCITURUM pariter ſignificet. Utut eſt, cum Servatore noſtro ita comparatum eſt; ut ipſe multo ante Hieroſolymitanum excidium natus ſit: natum enim eſſe conſtat a mundo condito anno ter

millesimo,

millesimo sexcentesimo septuagesimo primo. Excidium vero sacræ ædis in annum ter millesimum vigesimum octavum incidit: adeo ut Servator noster centum quinquaginta septem annis ante sacræ ædis eversionem natus fuerit. Ad hæc clarissimus Vidael respondit: Maxime Pontifex, familiaris & usitata Thalmudis hæc est ratio, quamvis sapientes plures & diversas ad unum versum scripserint explicationes, nemo tamen unquam negat, verba simpliciter & proprie intelligenda esse. Hinc sapientibus hoc de explicatione sacrarum literarum dicere mos est: Sacras literas nusquam non simplici & proprio verborum sensu accipi posse. Quodsi igitur Æmoræorum magister quispiam eas a propria & germana sententia abductas, in alienæ mentis sententiæque voraginem torquere velit, tum nos illa allegorice & improprie dicta esse pronunciamus, quibus autor fortasse rem sublimioris & arcani magis sensus signare voluerit. Neque nos simili orationis generi, quod cum simplici sensu ex diametro pugnat, ullam fidem habemus, quod ipsum ex universo opere Thalmudico satis liquet; quemadmodum illud Hieronymo abunde constat, unde nec illud negaturum arbitramur. Proinde Pontifex Maximus, sacras veteris fœderis literas consulat, comperiet certe,

certe, versus istos nihil quicquam de Messia vestro tradere; ille enim versus: Antequam parturiet sive partus doloribus discruciabitur, peperit. Non hercle de Messia vestro; sed de Hierosolymis proprie intelligendus est: quemadmodum evidentius ex his, quæ sequuntur, verbis patet. Quis unquam audivit simile? Quis unquam vidit simile? An terra uno die parturiet? An gens una vice nascetur? Mox subjicitur: Lætamini cum Hierosolymis &c. Si hæc verba de Messia vestro dicta essent, quamnam admirationem excitabunt, aut quodnam novitatis monstrum inducere possunt hæc jam supra dicta? Quis unquam audivit simile? Quis unquam vidit simile? Quisnam sanæ mentis dixerit, novum, aut monstrosum esse; unum hominem uno die nasci, præcipue, qui ex parte Deus, aut Dei filius esse, dicitur? Imprimis cum verba illa continuo subsequantur. An una vice nascetur gens, quia parturivit & peperit Zion filios suos? Quidnam verba illa: An una vice nascetur gens, ad Messiæ vestri negotium conferunt, quibus futura errantium Hebræorum congregatio innuitur? qua scilicet universi divina virtute, uno quasi momento subito congregabuntur, tum enim dicturi sumus: Quis simile unquam audivit? Quis simile unquam vidit?

 Et

Et quonam ſenſu eodem cap: verſu 13. diceretur: Et Hieroſolymis conſolationem accipietis? Quæ ſanctiſſima urbs nato quidem Meſſia ſive Chriſto veſtro, nullam plane accepit conſolationem; imo contra funeſtiſſimo fato afflicta a fundamentis diruta, ſoloque æquata fuit. Tum Hieronymus ait: Vobis Thalmudis ſententias inficiantibus ſacrarum literarum Oracula producam, quæ negare certe vobis religio erit. Ecce in ſacra lege veſtrâ in hunc modum Gen: XLIX verſu 10 ſcriptum eſt: Non recedet ſceptrum a Juda, neque legiſlator a pedibus ejus, donec veniat Silo, & ei aggregatio populorum. Quæ verba, donec veniat Silo, à Jonathane interprete ita ſunt reddita: donec veniat Meſſias. Ecce neque ſceptrum, neque legiſlatorem habetis; quomodo itaque conſtabit Oraculi fides; ſi, cum receſſerit jam ſceptrum, nondum etiam venerit Meſſias? Reſpondet M. Aſtrocus: Principio diximus, ſacrarum literarum verſus atque majorum ſententias, quæ variis explicationibus obnoxiæ quoquoverſum flecti poſſunt, ſtabiliendæ religioni parum certa atque firma argumenta ſuppeditare. Tu veró, Doctiſſime Hieronyme, varias hujus ancipitis Oraculi explicationes Aben Eſræ, atque aliorum ſapientum, tam veterum, quam recentiorum, ignorare non potes. Quibus

&nos

& nos, modo audire libeat, alias etiam adjiciemus: Prima vero, quam Oraculum ferre potest, explicatio hæc est. Non recedet sceptrum a Juda: nempe recessione perpetua, modo enim sceptrum, hoc est, Regem ex Juda habituri sunt, modo nullum habituri sunt Regem: & rursus tamen rerum potiti regnabunt, qui regni status usque ad Messiæ tempora durabit: Veniente enim, quem nos expectamus, Messia, regnum nostrum Judaïcum stabilietur in perpetuum, neque amplius temporum iniquitati & vicissitudini rerum obnoxium erit. Altera hujus Oraculi explicatio hæc sit: Non recedet sceptrum a Juda, neque legislator a pedibus ejus in æternum, quia veniet Silo, qui est Messias, & ei aggregatio populorum. Fundatur autem explicatio hæc in accentu, qui Hebræis Jatib appellatur, qui voculæ עד AD subjectus, sententiam sistit, adeo, ut illa per se gemino significatu pollens, DONEC ut supra: & IN ÆTERNUM, uti modo diximus, reddi possit. Proinde explicatio hujus loci talis emergit: Non recedet sceptrum a Juda in æternum; quia veniens Silo, qui Messias est, imperium Judæ ablatum est redditurus. Ad hæc Hieronymus respondet; quænam rerum necessitas nos cogit, ut accentibus fidem habeamus, cum lex ipsa sine accentibus data primum

fuerit? Tum clarissimus Vidael ait: o sapientissime Hieronyme, quam facile credis ea, quæ tuæ sententiæ suffragantur: quam difficulter vero ea, quæ illi refragantur! Sed & tertiam hujus loci explicationem addamus, ubi vox illa עד AD eundem habet significatum, quem in versu 15 Cap. xxviij. Gen. tenet: כי לא אעזבך עד אשר אם עשיתי אשר דברתי לך Quia non deseram te, nisi fecero, quod tibi locutus sum. Num putas germanam atq; veram hujus loci hanc esse sententiam, Deum præstitis ei, quæ locutus erat, beneficiis, Jacobum postea velle deserere? Haudquaquam: Hic enim locus benignius est accipiendus: perinde ac si Rex, aut alius quispiam servo suo dixerit: Non te deseram, nisi magnum aliquem ducem te fecero. Mens equidem haud est, se postquam servum suum virum magnum, aut ducem effecerit, inde illum prorsus deserturum esse. Ita etiam hæc verba accipi possunt, scilicet: Non recedet magistratus, aut imperium Hebræorum, nisi nobis felicia illa surgant tempora, quibus venturus est Messias, cui aggregatio populorum. Neque tum etiam, veniente scilicet Messia, imperium nostrum auferetur, quemadmodum nec DEUS, præstitis Jacobo, quæ promiserat beneficiis, continuo eum deseruit. Ad hæc Hieronymus inquit: Quid vestræ credam explicationi,

tioni,

tioni, nonne ſatius eſt, me fidem habere explicationi illi, quam Moſes Orator, cui veſtra lingua Hadarſchan cognomen eſt, ſcriptam reliquit: & M: Salomo Iſacides in interpretatione ſua adduxit, quam interpretum ille primus Salomo Iſacides ab ipſo hauſtam, ejus nomine poſteris ingenue tranſmiſit. Non recedet ſceptrum a Juda: per verba a Juda, Senatorum Curia, Hebræis לשכת הגזית Liſcat Haggaſit appellata intelligitur: ut quæ in Judæ territorio erat. Per ſceptrum ipſe ſenatus, id eſt, ſeptuaginta Patres, ſive Synedrium intelliguntur. Remoto itaque ſenatu, remotum Judæ ſceptrum eſſe creditur: Quo nihil aliud, quam Hebræorum ſynedrium ſignatur. Reſponderunt legati: ingenio certe parum aſſequi poſſumus, quale ex hac explicatione argumentum procudere velis. Deinde Moſes hujus explicationis autor, non Thalmudicus aliquis magiſter; ſed orator quiſpiam fuit. Præterea neque talis, quam pro tuo ingenio profers, ipſius eſt ſententia; quin ita Jacobum filiis ſuis dixiſſe legimus. (Hic abrupta eſt Oratio.) Huc uſque diſputationem illam literarum monumentis perſcriptam inveni. Fama eſt, legatos illos inde diſceſſiſſe non ſine glôria, cum tamen, cum conventibus ſalutem anxie anhelantibus, non paucas calamitates tum temporis ſuſtinuerint.

XLI.

XLI. Pontifici maximo Marco Florentino monachus quidam ejusmodi quæstionem hunc in modum proposuit. Maxime Pontifex, decetne virum sanâ mente prædicum, quid te sanctissimum Pontificem dicam, amare exosos DEO, Deumque perosos? Respondet Pontifex: Ex istis vitiis alterutrum certe satis magnam vim habere videtur, ad concitandum mortalium contemptum atque odium, quid igitur dicam, si hæc duo gravissima crimina, Deo scilicet exosum esse, Deumque odisse, in uno homine concurrant. Tum Petrus, quid causæ ergo est, quod amas gentem Hebræorum, Deo hominibusque invisam? Respondet Pontifex: quibus tibi indiciis liquet Petre, me Hebræos amare? Tum ille: quia terras tuas incolunt, earumque fructibus, ut cives tui victitant, hic quæstum exercent, hic rem faciunt. Pontifex maximus ait: Quo argumento probaveris Petre, Hebræos Deum odisse? Num tibi verisimile esse videtur Hebræos odisse Deum, qui adeo longis, asperis atque difficilibus erroribus huc atque illuc jactentur, nullo certe alio, quam servandæ legis sibi a DEO præscriptæ studio? Num vidisti unquam gentem Dei amantem, quæ pari errorum tædio per mille annos, aut plus eo vexata, tandem malorum pertæsa,

pertæſa, non legem ſuam faſtidierit, eamque abjecerit? Quod autem Judæos Deo inviſos eſſe dicas, id vero probare non poſſum: vagantur illi quidem incertis ſedibus, dicendum enim quod res eſt, nulli tamen a ſummo Numine conceſſum, ut errones iſtos opprimat, aut malis artibus circumventos pro lubidine ſuâ exſtirpet. Neque unquam illis læta aut proſpera domi res fuit, qui gentem Hebræam ſimili, ac tu nunc machinatione es uſus, evertere conati ſunt, ſcio tamen tuî ſimiles fuiſſe complures, qui Hebræorum exitio imminentes, id unum agerent: ut apud principes, Reges, eorumque conſiliarios in odium adducti, publici furoris victimæ fierent. Monachus Petrus reſpondet: Infelices certe fuerunt, in hoc conatu, neglecto Servatoris præcepto, quo eos tangi vetat. Quæ verba mentem ſuam quidem habent; ſed certe non eam, quam vulgus exiſtimat. Pontifex ait: arbitrariſne Chriſtianos ideo infelices fuiſſe, quia Chriſti præceptum, ne illos attingerent, ſuſque deque habuerunt? An vero putas, eos qui ante, aut etiam poſt Chriſti tempora in variis locis, in quæ Chriſti notitia nondum pervenerat, Hebræis injuriam fecerunt, feliciores & impunitos fuiſſe? Incredibile dictu eſt; quam late gens Hebræa diſperſa fuerit. Legimus enim in antiquis

tiquis Annalibus, diffusam fuisse per Germaniam, Mauritaniam, Mysiam, Hispaniam, Galliam, Africam minorem, Æthiopiam, quasdam Asiæ partes, uti Persidem, aliasque oras. In dictis locis omnibus gentem Hebræam adorti, una cum lege & nomen gentis ex hominum memoria delere voluerunt; sed omnia ista consilia irrita & vana fuere. In ipsa Media quidam ex primatibus, alioquin satis astutus, genti Hebrææ exitium est molitus; sed hoc infelicis sui moliminis tulit præmium, ipse una cum filiis in crucem actus est. Monachus Petrus respondet: Haman, quem dixisti, non actus in crucem est Judæorum causa; sed propter libidinem, qua Reginæ concubitum appetiverat. Pontifex ait: Miror equidem, te nondum nugas istas dediscere posse, quibus Judæus olim es innutritus: quid videtur tibi? Estne verisimile virum, cui Rex & Regina succensent, luce palam, præsentibus regiis ministris, simili luxuria, ingentibusque libidinis undis circumfluere potuisse? Quodsi tibi mecum colloqui placet, ejusmodi nugis atque anilibus fabulis abstinendum erit. Ad hæc monachus Petrus: Verum est Maxime Pontifex, nostrarum virium haud esse, ut Judæos prorsus evertamus, præsertim cum hoc divino confirmentur privilegio

Levit.

Levit. cap. xxvi: versu 44. Non reprobavi eos, neque abominatus sum eos, ut illos consumerem. Non quidem ita Judæos reprobavit, ut eos ad unum perdat; sed ut illos variis miseriis atque calamitatibus exercitos, ad vitæ frugem reducat: Eatenus enim eos rejecit, quod ipsum testantur miseriæ, quibus semper acriter divexantur. Pontifex ait: Miseriæ equidem Judæos Deo invisos atque rejectos esse haud arguunt: Constat enim nos ex quatuor elementis compositos esse, quæ elementa in ipsa etiam compositione pugnantem ubique naturam retinent, experientia certe docemur, quod si alterum altero superius est elementum, tum certamine orto, illud quod potentius est, infirmius depasci atque in suam naturam convertere studet. Nobis exemplo esse poterit ignis, qui nisi obstiteris, late exuret atque vastabit omnia. Aqua terram superans eam diluit, atque dissolvit. Aer aquam haurit, atque in suam naturam convertit. Eodem modo sese res habet in feris, avibus atque piscibus, quicunque altero potentior est, inferiorem hiatu absorbet. Neque aliter res comparata est cum gentibus, superior enim inferiorem aut delere, aut sibi subjicere studet. Ita enim humanum ingenium esse solet, ut semper regna atque imperia meditetur. Ipse ego, si

aliis obſtare poſſem, quo minus in hoc terrarum orbe regnarent & dominarentur, præter me certe regnantem videres neminem: omnes enim animi & ingenii nervos huc intenderem, ut ſolus rerum dominus eſſem. Sic etiam Hebræi mala, quæ patiuntur, non irato Deo; ſed nobis, qui illis ſuperiores ſumus, adſcribere debent. Monachus Petrus ait: Quid obſtat, Maxime Pontifex, quo minus vere dicere poſſis: Judæos his aſperrimis erroribus ſcelera ſua olim commiſſa luere? Reſpondet Pontifex: Luunt illi quidem iſtis erroribus ſcelera ſua; ſed non minus & hoc quoque accedit, quod nos illis ſuperiores, multarum calamitatum ipſis autores ſumus. Verum ut tibi, quod res eſt, verbo expediam: noli mortalibus, qui nullis malis exercentur, invidere felicitatem ſuam, neque illos eo nomine Deo chariſſimos eſſe arbitrator; quod enim ſecundo vento navigant, indicio eſt, eos nondum vitæ ſuæ crimina expiaſſe: periculum eſt, ne ultima eorum tempora magnis calamitatibus ſint infeſta. Quin e contrario infelicibus triſtia ſua fata invideas potius, qui olim lætiora tempora viſuri ſunt; ut ſacræ literæ Pſalmo XXXVII: verſu 37. pronunciant: Obſerva hominem perfectum & vide rectum, quia noviſſima illius tempora pax ſunt. De

impiis

impiis vero verſu 35 ait: Vidi impium fortem & vireſcentem lauri inſtar viridis, & tranſivit & ecce non fuit; & quæſivi eum & non eſt inventus. Ad hæc monachus Petrus ait: Quomodo, ſanctiſſime Pontifex, perferre potes iſtam gentem, quæ nos acerbiſſimis conviciis proſcindere & lacerare, quinetiam diris devovere non deſinit? Ajunt enim, nos Chriſtianos jure interficiendos eſſe. Deinde & mortem noſtram triſti infamia notant: nos interfici debere, quod ſentiant, diſertis hiſce in Thalmude verbis palam oſtendunt טוב שבגוים הרוג Optimum inter gentes interfice. Quod vero mortem noſtram triſti infamia notant, hinc patet, cum dicunt: Pudore affecta eſt mater veſtra, valde erubuit genitrix veſtra. Ecce noviſſima gentium erunt deſertum, ſiccitas & ſolitudo: Quibus certe verbis, nobis acrior contumeliæ nota inuri non poteſt. Reſpondet Pontifex: memini me olim hujus ſententiæ mentem: Optimum inter gentes interfice, ab ipſis Judæis accipere. Horum vero verborum: Pudore affecta eſt mater veſtra, erubuit genitrix veſtra: Ecce noviſſima & quæ ſequuntur, veram explicationem nunquam audivi. Cum igitur ſeſe jam forte ultro obtulerint, operæ pretium mihi eſſe videtur, illa amore veritatis paulo altius

 inda-

indagare, quo veram germanamque ſententiæ mentem certius cognoſcamus. Accerſamus itaque duos legatos illos, qui me adituri heri huc pervenerunt: & audiamus, quæ illorum de his verbis ſit ſententia. Accerſiti itaque ſunt legati, qui erant viri clariſſimi Samuel Abrabalia & Salomo Levita. Quos præſentes Pontifex Maximus his verbis eſt affatus. Verumne eſt, in Thalmude veſtro ſcriptum extare טוב שבגוים הרוג Optimum inter gentes interfice? Reſponderunt illi: Extat vero, Maxime Pontifex; ſed a majoribus noſtris accepimus, omnia illa, quæ ad jus pertinent, aut ſacras literas exponunt a Rabina & magiſtro Aſio ſcripta eſſe; qui ipſi Thalmud compoſuerunt: Cætera vero a commentatoribus ſcripta, qui firmandis illorum ſententiis, ea Thalmudico operi interſuerunt. Nos vero cum Thalmud conditum primum accepimus, parum certe ad verba illa attendimus. Pontifex inquit: Utut eſt, ita tamen in Thalmude veſtro ſcriptum extat, & certe qui contendere velit, quod vos contenditis: Commentatores ea Thalmudico operi inſeruiſſe, illos aut oculatos hujus rei teſtes, qui viderint, afferat; aut alio evidenti argumento evincat, neceſſe eſt. Proinde vos mihi veram hujus ſententiæ mentem decla-

declarabitis,nam ſi verba ſpectes, ſententia mihi crudelis & ſanguinaria eſſe videtur: adeo ut Judæi, qui regnum meum incolunt, mereri videantur, qui improbæ hujus ſententiæ dignas pœnas luant. Tum clariſſimus Salomo Levita inquit: Maxime Pontifex, veteres hanc ſententiam ita ſunt interpretati, ut eam de ſevera juſtitiæ adminiſtratione, qua cæteræ gentes homicidas præcipites ad ſupplicium rapiunt, intelligi voluerint, eamque oppoſitam eſſe dixerunt remiſſæ noſtræ Hebræorum juſtitiæ, qua plerumque homicidæ graſſantur impune: Rapiendis enim inter nos ad ſupplicium homicidis, adducendi primum ſunt teſtes, qui niſi furibundum homicidam, ne cædem admitteret, minis increpitum deterruerint, veſtes, arma, cæteraſque circumſtantias, imo ſingulas minutias diligenter obſervaverint, homicida nullo affici poterit ſupplicio. Præcipue vero contrariam eam eſſe dixerunt illi ſententiæ, quam nonnulli præclari nominis viri his verbis prodiderunt: Quodſi nos judicum noſtrorum tempore vixiſſemus, nullus unquam mortalium ob admiſſam cædem capitis damnatus fuiſſet: metuentes ſcilicet, ne forte, qui interfectus fuit, lethali aliquo morbo jam ante vulnus acceptum laboraverit: qui, cum

illi morbo certò occumbendum fuiſſet, mortuo ſimilis eſſe cenſetur, adeo ut homicida non ſanum atque valentem, id eſt adhuc vere hominem; ſed moribundum interemerit. Atque inter nos, qui moribundum occidit, legibus noſtris ad ſupplicium rapi nequit. Cæteræ vero gentes præviderunt fore, uti homicidæ temporum lapſu peccandi licentia atque impunitate paulatim invaleſcerent: nam ſi hæc manifeſta ſcelera & homicidarum rabies ad curioſiſſimi examinis trutinam ſemper revocanda eſſet, impune fere graſſarentur, & ſubinde triſtes mortalibus ſtrages ederent. Hinc illæ ſuſpicionibus & conjecturis ductæ, homicidas capitis pœna coercent, ut cæteris tremendum exemplum ſtatuant: adeo ut nihil aliud inter gentes optimum eſſe dicatur, quam ſevera juſtitiæ adminiſtratio, & ſupplicium capitis, quo homicidæ commiſſas cædes luunt. Neque etiam verba illa, ut imperantis, quemadmodum Petrus ea accepit; ſed ut infinité loquentis, accipienda erunt. Scilicet optimum inter gentes ſive Chriſtianos eſt interficere: Non vero quaſi imperent: Interfice eum, qui optimus eſt inter Chriſtianos, intelligenda hæc ſunt. Sed infinita eſt illa loquendi formula, quaſi dicas, Optimum inter gentes eſt interficere. Adeo

ut

ut ſiquis rem paulo diligentius perpenderit, hæc ſententia cum Chriſtianos interficiendos eſſe nequaquam pronunciet, haud ſane dura & truculenta illis videri poſſit, ſed e contrario glorioſa & honorifica, ut quæ laudes ipſorum deprædicet. Optimum enim & præclariſſimum hoc inter gentes eſſe dicit, quod virtutis & juſtitiæ ſtudio dediti, ita ſeveri ſcelerum ſunt vindices, ut latâ ſententia facinoroſos continuo ad ſupplicium rapiant & dicant, hunc ob hæc ſua ſcelera ſupplicio afficite. Ad hæc Pontifex ait: ſi Magiſtri Thalmudici in eadem, qua hi, fuerunt ſententia, ſcilicet homicidam ob factam cædem nullo ſupplicio afficiendum eſſe, quia interfectus funeſto aliquo morbo laboraverit, quo illi nihilominus obeundum fuiſſet; ſine dubio omnes errarunt, atque ſapientum nomine indigni ſunt. Quis enim mortalium non perſpicit, hanc ineptam & plane pernicioſam eſſe opinionem, ut qui manifeſtus cædis eſt, tam futili argumento ſupplicium capitis evadere poſſit. Sed his magiſter Salomo Levita ita reſpondet: Maxime Pontifex, jampridem ſacrum Oraculum in hunc modum pronunciavit Amos cap. III: vers 2. Tantum vos cognovi ex omnibus gentibus terræ, idcirco viſitabo ſuper vos omnes

iniquitates vestras. Quicunque enim terrestre tribunal effugit, neque hic scelerum suorum pœnas dat, certe cœleste illud tribunal non effugit. Nobis equidem hæc a majoribus nostris tradita fuerunt: Eos, qui propter commissa scelera a tribunali terrestri supplicio afficiuntur, crimina sua prorsus diluere & expiare. Neque eos, qui terrestris tribunalis sententiam subterfugiunt, cœlestis subterfugere posse: quin hoc subterfugium illos in tristiora fata præcipitat, tum enim cœlestis illa censura omnino est subeunda, atque ipso supplicio tristiora longe mala perferenda erunt. Pontifex ait: hoc quod adduxistis, argumentum suum pondus atque momentum habet, nihilominus tamen hoc postulat necessitas, ut in hac vita humana etiam justitia sancte administretur, quo metu pœnæ scelerati homines a peccando retineantur. Tum monachus Petrus infit: o Maxime Pontifex, quam astute & vafre tibi verba dant Hebræi, falsa pro veris obtrudentes! cum tamen sequentia verba: Optimus inter lanios, est Amaleci socius, satis clare demonstrent, hæc non in gloriam; sed nostram infamiam improbe dicta esse. Uti enim hæc verba intelliguntur, sic etiam ea, quæ supra laudavi: Optimum inter gentes sive Christianos interfice; intelligenda sunt. Ad hæc Salomo

lomo Levita ita respondet: Quod attinet ad verba illa: Optimus inter lanios Amaleci est socius; ea hanc mentem habent: Lanius crudelis esse debet, ut Amalecus fuit contra Hebræos, alioquin nullum unquam mactabitur animal. Dicitur & in eodem loco: Optimus medicorum ad Tartara. Mens est, optimus medicorum sibi semper hiantia Tartara ob oculos ponere debet, ne dum servare studet, mortales interimat. Proinde in præscribendis medicamentis omne studium ponat, & pro salute ægrotantium sollicite excubet. Quid vero præstantius esse potest, quam quod medicus, Tartarorum metu atque horrore, in quæ alioqui se præcipitatum iri existimet, omne studium omnesque animi nervos in curandis ægrotantium morbis intendat. Deinde Pontifex Maximus ait: Quid vero ad illa verba respondebitis, cum Jeremiæ capite L: vers 12. ita dicitis: Pudore affecta est mater vestra valde, erubuit genitrix vestra: ecce novissima gentium erunt desertum, siccitas & solitudo? Cui clarissimus Salomo Levita respondet: Mirari equidem satis non possumus, Petrum ex gente nostra ortum, sibi, quæ notissima sunt, quærere: sed nihil est aliud, quam quod malis machinationibus exitio nostro imminens, tibi Pontifici probare velit, se vere Christianum esse: hinc o-

mnis generis machinis & malis artibus contra nos Hebræos utitur. Sed ad verba ipsa accedamus, quæ universim omnes homines, tum Christianos, tum Hebræos complectuntur, & infelicissimam matrem eorum perstringunt. Adeo ut horum verborum: Pudore affecta est mater vestra, talis emergat sententia. Confusæ sunt matres vestræ, quarum proles sepulta est; incredibiles enim labores & multa tædia in educandis liberis suis devorarunt: ultimum vero laboris, tædiorumque suorum fructum & finem, desertum, siccitatem & solitudinem habent. Vera autem sententiæ mens hæc est: respectu corporis in hoc mundo nihil stabile atq; æternum esse; sed omnia vana, fluxa, & in pulverem abire. Anima vero, si ad veræ virtutis normam actiones suas direxerit, quin ad æternas beatorum sedes feratur, nemo est, qui inficias ire possit. Atq; hoc illud ipsum est, quod nobis posteris Moses Ægyptius scriptũ reliquit חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא Pios ex quacunq; gente fuerint, vitæ æternæ participes fore. In hac ipsa etiam fuit sententia sapiens quidam cum Rege Cosroe controversiam habens, cujus verba hæc sunt: Nos nulli mortalium, nulli genti, sive nationi bonorum suorum operum præmia negamus atq; subtrahimus. Quomodo igitur præceptum nobis erit, ut vobis Christianis illu-

illudamus dicentes: Pudore affecta est mater vestra valde, erubuit genitrix vestra, ecce novissima gentium erunt desertum, siccitas, & solitudo. Ad hæc Pontifex Maximus ait: Nonne dixistis: Ecce novissima gentium erunt desertum, siccitas & solitudo? Quid enim gentium voce, nisi nos Christianos signatis? Tum Clar: Samuel respondet: Haudquaquam Maxime Pontifex, nonne divinus ille vates Esaias de nobis ipsis Hebræis ita etiam pronunciavit cap. 1: vers 3. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël non cognovit, populus meus non intellexit: Væ GENTI peccatrici, populo gravi iniquitate, semini malorum, filiis corruptoribus & quæ sequuntur. Hinc monachus Petrus denuo Judæos acriter urgere cœpit, donec tandem Pontifex Maximus in hæc verba erumperet: Ex eo quidem certum argumentum peti nequit, Judæos DEO esse invisos, quia multis malis obnoxii incertis sedibus passim vagantur & errant. Imo e contrario charos acceptosque DEO esse existimandum est. Nonne sibi DEUS victimas legit animalia illa, quæ rapacium ferarum injuriæ & crudelitati obnoxia sunt: velut agnos, turtures, columbas? Non vero leonem, accipitrem, aquilam & corvum, quæ uti feræ rapaces cæteris insidian-

tur, & innoxia dilaniant. Tum monachus Petrus, DEUS ea victimas elegit animalia, quorum in promptu ſemper copia erat, quemadmodum Judæis in feſto tabernaculorum quatuor illa germina præſcripſit, quia in Palæſtina vulgo naſcerentur. Ad hæc Pontifex: Quodſi res eſt, ut dicis, oportuit Deum victimas eligere gallinas, quæ cum domeſtica ſit avis, parata ſemper adeſt: ſed fortaſſis objici poſſit, gallinas omnis generis inſecta rapacium more devorare, atq; ſic aliorum etiam vitæ inſidiari. Tum monachus Petrus inquit: Omiſſis hiſce levibus ad ea, quæ graviora majoriſque momenti ſunt, tranſeamus. Quare non exuri jubes, Maxime Pontifex, libros illos, in quibus hæc verba: Pudore affecta eſt mater veſtra, & quæ ſequuntur, ſcripta extant? Pontifex ſervis ſuis præcepit, ut aulæ feneſtras clauderent, quibus diligenter clauſis, Pontifex monacho ait: Proſpiciat mihi nunc aliquis, utrum Sol foris ſit ortus. Proſpicientes ſervi narrant, univerſum terrarum orbem Solis ſplendore collucere. Tum Pontifex Petro: uti cum Solis ſplendore, ita etiam cum Judæorum libris res comparata eſt, quid enim prodeſt, me Judæorum libros, quos in regno meo habeo, exurere; cum totus terrarum orbis ſcriptis illorum ſcateat atq; abundet? His dictis monachus abiit. Tum Pontifex Maximus

ad

ad legatos converſus ait: O amentem Hebræorum gentem! quare non cæterarum gentium gratiam captantes obſequio mitigatis imperia? nonne luculentum vobis in arundine videtis exemplum? quæ vehementiſſimis venti flatibus ſeſe ſubmittit, qua ipſâ ſubmiſſione ſalva infractaque ſtatim reſurgit. Quod etiam illi, qui mare navigant, imitantur, ſi enim irruentibus fluctibus cedant; ſalvi evadunt: ſi vero fluctuum montibus obniti contendant, aquarum mole obruti miſere pereunt. Præſertim cum illud ipſum idem ſit, quod vobis magiſtri veſtri Thalmudici adeo ſedulo inculcant, præcipientes: ſemper homo mollis & facilis ſit, ut arundo: non vero durus & difficilis, ut cedrus. Cujus ſententiæ hæc mens eſt: Arundo ſubmiſſione ſua ſemper infracta & ſalva conſiſtit: rigida vero cedrus ob ſuam duritiem ventis cedere neſcia, fracta dejicitur, & horribili fragore proſternitur. Ad vos itaque Judæos hæc ſententia pertinet, quos imprimis ſubmiſſos eſſe decet, ſi quid credimus Thalmudicis veſtris magiſtris, qui ſolos Judæos, non vero cæteras orbis terrarum gentes, homines vocari tradunt: ſed mihi dicite obſecro, qua in re vos nobis ipſa humanitate ſitis præſtantiores, quod vos Hebræi ſoli, non vero nos Chriſtiani etiam homines dici mereamini?

Ad hæc verba Clariss. Salomo Levita respondebat: Hæc Thalmudicorum verba, maxime Pontifex, non ita intelligenda sunt, ac si nos Hebræi vobis Christianis ipsa humanitate præstemus; sed ea accipienda sunt de erroribus nostris, quibus incertis sedibus infelices passim vagamur & aliorum imperio obnoxii, ut ventis undæ fluctuantes, ita miseriis impellimur, ut merito homines dici debeamus, primo hominum parenti Adamo similes, qui uti propter admissa crimina ex Paradiso fuit ejectus, sic etiam nos, patriis sedibus quasi altero Paradiso, Palæstina inquam, pulsi sumus: & Hierosolyma, sanctissimamque ædem, decus nostrum amissum infelices homines deploramus. Pontifex maximus ait: Arabes tradunt: Nullum montem aut clivum adeo esse excelsum, quin humanis vestigiis conscendi possit: neque mare adeo esse profundum, quin quis ipsius abyssum emissa bolide metiri queat: perspicere vero & convertere cor hominis, nullius est, nisi solius Dei, qui omnia corda novit. Illa enim verba superius allegata fastum atque superbiam Thalmudicorum magistrorum sapiunt, qui uti auribus vestris blandirentur, hæc vobis ita pronunciarunt: Vos quidem Hebræos, non autem cæteras orbis terrarum gentes, homines esse. Tum le-

gatorum

gatorum quidam respondet: Hæc non, maxime Pontifex, Thalmudicorum blanditiæ; sed diserta divini vatis oracula sunt Ezech. cap. XXXIII: vers 31. Vos autem oves meæ, oves pascui mei, homines estis: Ad hæc Pontifex maximus ait: O fatuum te & delirum hominem! Non tibi hercle hic cum fungo, sed cum viro sapiente res est, quem nec arte, nec fraude decipere possis. Vatis enim verba. Vos oves meæ, oves pascui mei, homines estis: in hanc mentem accipienda sunt. Nolite existimare me, quamvis vos oves meas vocaverim, crimina vestra, ut ovium æstimaturum esse: quia non oves veræ, sed homines sana mente & ratione præditi estis. Vos autem oves meas voco, quia non aliter vos, ac pastor aliquis oves suas pasco & curo. Sed quis mortalium contumacissimos vos pascere, & in officio continere potest? Audivi enim Regem quendam edixisse vobis, ne in ædibus vestris Solis simulacrum fingeretis: quid vero versipelles egistis Hebræi? Solis imaginem in portarum valvis intus delineastis, dimidiam ejus partem in unis, alteram in alteris valvis describentes: adeo ut clausis valvis, integra Solis imago existeret, cui flexis genibus venerabundi thura atque odores adolevistis. Si quis vero simulacrorum censor interveniret,

niret, qui foribus apertis dimidiatam Solis imaginem forte deprehenderet, ille propter truncatum & mutilum simulacrum, haud operæ pretium esse arbitrabatur, quenquam ad supplicium rapere. Deinde nonne impia & scelerata Judæorum pervicacia ex hoc exemplo clarissime cognoscitur, quo divinissimum illum vatem Zachariam, crimina & scelera vestra acrius perstringentem, in ipsa æde sanctissima, præter jus & fas fœde obtruncastis? Cum e contrario inter nos illi, qui cædem forte commiserint, in sacram ædem ceu in asylum confugiant: unde illos abstrahere quidem, grande & morte piandum nefas censetur. Audivi etiam vos Hebræos publice in precibus vestris orare solere. Perstet bona fama, & magnificentia nostra! Sed quam bene rebus vestris consulturi essetis, si supplices exclamaretis, perstent Hebræi exules, omnibus gentibus spreti contemtique! Quibus sane verbis animi vestri fastum egregie comprimeretis, & nonnihil humanius de vobismet ipsis sentiretis. Ego quidem, si mihi Hebræi vere describendi essetis, vos hoc colore ad vivum depingerem: Similes vos esse dicerem seni decrepito, qui cæcutientes & caligantes habet oculos, manus invalidas, pedes tremulos atque os edentulum, quem ipsum etiam sepulcrum, si illi concessa

loquendi facultas esset, appellans altâ voce, ad inferos abeundum esse, hortaretur. Quânam mente dicitis: Perstet bona fama nostra: Cum eam male partis divitiis, fœnore & mille fraudibus identidem profligetis? Cavete vobis, ne quas paulatim corraditis divitias, uno impetu gentes per rabiem vobis ereptum eant. Cavete inquam, ego enim unus Pontifex; sed si decem hominum millia, ex numerosa plebe coörta, armis subito correptis, vos furibundi invadant, jam decem millia Pontificum existunt; furens enim concitatæ plebis rabies neminem agnoscit Pontificem. Quibus serio & apte dictis legatis lacrymas excussit. Tum Pontifex maximus ait: Nolite flere, quia vos habitâ jam oratione forte levius perstrinxi; sed flete potius admissa scelera vestra, & artes ubique terrarum nimium notas. Responderunt legati: Nos quidem maxime Pontifex flemus, quia miseris hominibus fletus quædam voluptas est, lachrymis expletur dolor atq; egeritur. Ecce monachus iste Petrus, ex gente nostra ortus, famam nostram lacerat, & nos ita turpiter traducit; neque quisquam est, qui causam nostram suscipiat. Similes certe sumus avi, quam fera rapax, morsu laceratam pedibus ferociter proterit, & unguibus dilaniat. His ita loquentibus revertitur monachus, qui legatis ait: Transite ad sacra nostra,

tum non amplius proteremini; sed ipsi alios protereretis. Responderunt legati: Certusne es Petre, te olim beatis cœlorum sedibus inserendum, æternaque piorum felicitate potiturum esse? Petrus inquit: Ita vero omnino arbitror. Ad hæc legati ajunt: quod si ita omnino arbitraris, tum nos læti lubentesque potius in Tartara ruamus; quam in æternis beatorum sedibus tecum una degamus. Quibus verbis monachus vehementer est irritatus. Tum Pontifex Maximus inquit: Hoc est præmium illis, qui inconsulti consilium aliis dare volunt. Tu ipsis non rogatus ultro consilium dedisti, ut Christianis sacris accederent, jam vero tibi pro consilio isto hanc gratiam referunt. Sed his missis quæro ex te, quid sibi velint verba illa, quæ antea adducta fuerunt. Vos homines vocamini, non autem gentes cæteræ. Num Judæi nobis forma corporis aut fortitudine animi præstant? Monachus respondet: Noli, Maxime Pontifex, hæc sola Magistris Thalmudicis inepte & maligne dicta esse arbitrari, omnes explicationes illorum similibus ineptiis & anilibus nugis scatent. Ecce per hosce legi dies, Thalmudicos magistros scribere: Candelam ponendam esse in pavimento ædium, quæ cadavere funestæ sunt. Cujus rei hanc rationem esse tradunt: ut candelæ

lumine

lumine viam monſtrante, vaga anima, ſi forte velit, domum invenire & in relictum cadaver reverti poſſit. Num anima, quæ lux & flammula ipſa eſt, aſpectabili illa candela & face indiget? Præterea etiam anima, poſtquam membra ſemel reliquit, nunquam ad gelidum cadaver remeare ſolet. Deinde vidi etiam Judæos, quando funere deducto ex ſepulchreto revertuntur, gramen terramque avulſam capitibus ſuis inſpergere, dictitantes: Gramen illud & pulverem Angelum mortis profligare & propellere. Si vero quis naturam altius ſcrutari velit, quid Angelo mortis cum ipſo gramine rei eſt? Narrant tertio, mortuum omnia audire, quæ de eo ſermonibus feruntur, quamdiu nondum terra conditus fuerit. Sed clarum atque manifeſtum eſt, cadaver ſenſibus ademtis nec audire, nec videre. Quartum, quod tradunt, hoc eſt: Jonathanem ſapientem, quando legi divinæ invigilabat, igneâ quadam virtute omnes ſupervolantes aves exuſſiſſe: Et ſi ipſum ignis elementum nihil exurere poteſt, niſi res exurenda proxime admoveatur, quomodo igitur ſonantia ipſius verba in ignem & flammam verti, atque longo intervallo diſtantia avium corpora exurere potuerunt? Hinc Pontifex Maximus ad legatos converſus, eos ad interrogata reſpondere jubet.

Reſpondit itaque clariſſimus legatus in hunc modum: Quod ad primam illam ſententiam attinet, quam in Thalmude ſcriptam monachus adduxit: Statuendam eſſe lucernam in ædium pavimento, ubi quis diem ſuum obiit, quæ oberranti animæ, domum forte reverti & gelidum cadaver repetere volenti, viam ipſa monſtrare poſſet. Certe hic mihi ſomnium vidiſſe videtur monachus, hoc enim minime eo fit fine; ſed antiquus mos & inveterata conſuetudo genti huic eſt, quæ ad refutandas artes magicas & vanas ſuperſtitiones introducta & uſu poſtmodum confirmata fuit. Vulgata enim inter veteres ſuperſtitioſa fuit ſententia, ſcilicet, ſi quis inimicus defuncti manes diſcruciare velit, candelam in pavimento ædium ipſius collocaret. Quæ cauſa erat, quare nullam candelam in pavimento ædium ſtatuerent. Huic tam ſuperſtitioſæ & frivolæ opinioni, quæ genti Æmoreæ propria fuit, majores obniti & poſita in pavimento candela, reipſâ frivolam & inanem eſſe probare cœperunt. Quod vero ad alteram ſententiam attinet, Judæos gramina evellere, in nonnullis etiam locis pulverem tollere & capiti inſpergere ſolere: Hoc fit, primum ut lugentes ſolentur; eo enim facto ſignatur glorioſum reſurrectionis tempus, quo uti gramen & pulvis capiti

aſper-

aſpergendo in ſublime tolluntur, ita olim defun-
ctorum corpora ſunt reſurrectura: quemadmodum
ſacrum loquitur oraculum Eſaiæ cap. XXVI: vers 19.
Expergiſcimini & cantate habitatores pulveris. Pſal-
mo LXXII: vers 16. Floreſcent de civitate ſicut
herba terræ. Deinde hoc facto mortalium animi ad
attentionem excitantur, & faſtus retunditur; dum
enim pulverem iſtum tollunt, ſibi ſubjicere & ad ani-
mum revocare videntur illud, quod Gen. III: 19. ſa-
cræ literæ pronunciant: Pulvis es & in pulverem re-
verteris. Qui vero herbam evellunt, recordantur ſen-
tentiæ illius, quam veteres dixerunt: Mortales ſunt uti
herbæ in agro, quarum aliæ floreſcunt, aliæ marce-
ſcunt & cadunt. Sequitur nunc tertia ſententia, qua
defuncti audire dicuntur, quamdiu cadavera illorum
non terrâ obruta fuerint. Nos ita a majoribus noſtris
accepimus: Animam non meare ad ſedes ſibi in cœ-
lis aſſignatas, quamdiu corpus inſepultum jacet. Ita
enim Salomo loquitur: Eccl. XII: 7. Et revertatur
pulvis in terram, unde erat: & Spiritus revertatur ad
Deum, qui dedit illum. Quæ verba Salomonis majo-
res noſtri ex ordine, quo ſcripta ſunt, intellexerunt.
Nam ſi Spiritus prius, quam corpus ſepeliretur, ad
æternas beatorum ſedes migraret; Salomo verba illa
ordine inverſo pronunciaturus fuiſſet hoc modo:

 Spi-

Spiritus revertatur ad Deum, qui dedit illum, & revertatur pulvis in terram, unde erat. Sed Salomo hoc loco innuere voluit: Spiritum non redire ad locum, sibi in cœlis destinatum, quamdiu pulvis non reversus fuerit in terram, unde erat. Per quæ verba corpus sepeliendum esse intelligitur. Proinde ipsa anima res, quæ in hoc mundo geruntur, adhuc novit; perinde ac si quis dormiens somnium videat. Quapropter nos de viris justis, non ut de mortuis, sed dormientibus loqui solemus, dicentes: postquam obdormivit ille N. N. significantes, justorum mortem, nihil aliud, quam somnum esse. Quarta vero sententia: Omnes aves supervolantes, Jonathane divinæ legi invigilante, exustas esse, significat: Omnes ineptias & vanas opiniones in animum ipsius subvolantes, evanuisse; quando sapiens ille ad tractandam legem divinam accederet: veram enim sacræ legis mentem assecutus, quæcunque falsa erant, sapienter rejiciebat. Tum Pontifex legatos bene respondisse confessus, tu monache inquit, jamdiu sacra nostra amplexus hæc oblivioni tradidisse videris. Monachus inquit: Quomodo vero ista oblitus videri possim, qui ista ipsa ante triduum in Judaïco quodam libro legerim? Pontifex maximus ait: Nempe hoc erat illud, quod

expi-

expiſcarer, quid malum tuâ intereſt Judæorum ſcripta ſcrutari? Ex eo certe nihil conjici poteſt, niſi quod religionem Judaïcam in animo tuo adhuc conſtanter foveas: & niſi ipſe ſacri ordinis pars eſſes, te exurendum darem; ſed cave poſthac in conſpectum meum venias. Hinc Pontifici ad legatos converſo, & quid peterent interroganti, reſpondent illi. Celare te non poſſumus Maxime Pontifex, judices edixiſſe nobis, ut fœnora jam a multis retro annis accepta reddamus; quod quidem fieri nequit, niſi liberos noſtros in ſervitutem vendamus. Pontifex Maximus ait: jamdudum dixi vobis, quod ſentio, ne tamen, cum ad petendum huc veneritis, plane fruſtra petiviſſe videamini, altera vobis fœnoris pars remiſſa eſto, alteram partem reſtituite; ut ſi decem annorum fœnus a vobis exigant, quinque annorum fœnore reddito, ſatisfactum eſſe exiſtimetis. Reſpondent legati: bene ſe res habet, Maxime Pontifex, modo res noſtro ſtet juramento. Pontifex inquit: Euge, vos ſine dubio, ſi quadraginta annorum fœnus fuerit, viginti fuiſſe dejerabitis: ut ſic decem annorum fœnora reddatis. Quodſi ea, quæ Deo veſtro juraviſtis, non præſtiteritis, quomodo ea, quæ Chriſtiano jurabitis, præſtituri ſitis? Legati videntes, ſe parum in hac cauſa promovere,

movere, aliam petitionem hoc modo proferunt: Habemus nos ſacellum ſacræ Chriſtianorum ædi proximum; jam vero Chriſtiani terminos noſtros tranſgrediuntur, quod tamen ſine injuria fieri non poteſt. Cum ſacellum noſtrum ſacra Chriſtianorum æde longe ſit vetuſtius. Atque nuper Regina noſtrum ſacellum & ſacram Chriſtianorum ædem præteriens admirabilem illam vicinitatem riſit; cui ridenti conſiliarius aliquis dixit: Sereniſſima Regina, hoc Judæorum ſacellum & ſacra Chriſtianorum ædes jam per plurimos annos veluti geminæ ſorores concorditer perſtant, neutra alteri injuriam facit. Reſpondit Regina, ſiquidem neutra alteram injuria laceſſit, porro ita perſtent, donec conſeneſcant & corruant. Iam vero Maxime Pontifex, prætor ſacellum illud dirui juſſit. Pontifex ait: Prætoris eſt ſententiam illam dicere & judicare, non vero Reginæ: quomodo enim portæ ædis Servatoris noſtri proximi eſſe poteſtis, qui calumnias veſtras in illum evomitis? Proinde ſacellum veſtrum e veſtigio diruite. Reſponderunt legati: ſi Regina ſacellum noſtrum deſtrui juſſerit, deſtruemus. Quibus verbis Pontifex maximus vehementer eſt irritatus, adeo ut præſulibus ſub execrationis fulmine, Judæorum illud ſacellum evertendum edixerit. Quibus etiam

am injunxit, ut Christianis fœnora ex judicum sententia restituerent. Salomo inquit: Hinc merito petant exemplum Judæi ad Reges legati mittendi, ut ea, quæ dicturi sint, diligenter perpendant, & omnia etiam verba ad æquitatis & modestiæ trutinam primum appendant, ne quid intempestivius effutiant. Neque existiment; sibi cum magistro suo in scholis rem esse, quem cum discendæ legis gratia ære suo alant, eoque nomine obnoxium sibi habeant, importunius appellare non verentur, etsi divino munere ali revera videantur, cum tamen humano labore partis sustententur, ab ipsis hominibus etiam ali quodammodo dici possunt. Celebratissima enim majorum nostrorum vox est: Sapientes laboris mercedem vitæ sustentandæ a plebe incondita accipiendo obnoxios plane reddi, exitiali bonis moribus exemplo. Deinde etiam Judæorum importunitas, ex prava cum rectoribus suis conversandi ratione nascitur: quæ ut abjectior est, ita omnem modestiam, reverentiam atque virtutem profligat, adeo ut vero rectore nostro remoto, nos vera disciplina &, quod majus est, omni virtute destituti simus. His accedunt turbæ & errores nostri, qui nullam quasi virtutis scintillam nobis reliquerunt, quod Jeremias in Lament. cap III: vers 2: deplorat inquiens: Me Deus duxit, &

traxit in tenebras, & non in lucem. His verbis: Me duxit: significat, Deum, ut ducem aliquem primis illis temporibus duxisse, eosque tum omni virtutum genere ornatissimos fuisse. Ultimo vero, cum tamen postrema mortalium tempora felicissima esse merito deberent: Me traxit in tenebras & non in lucem. Perinde ut aliquis equum aut mulum trahere solet. Proinde hæc præsentia tempora nostra, non lumen; sed tenebræ sunt: quibus omnis virtus & sapientia sepultæ jacent. His verbis: Me traxit in tenebras & non in lucem: Ostendit primis quidem temporibus nobis lucem fuisse; sed cum ea non in ultima tempora nostra perduraverit, quasi nunquam fuisse putatur. Certe si nos Deus primum in tenebras tractos, mox ut dux aliquis in lucem eduxisset, aliquam nobis lucem fuisse dicendum foret. Nostras vero calamitates sequentibus hisce verbis expressit dicens: Profecto contra me; non contra mundi gentes conversus est Deus, ut me percutiat & verbera ingeminet. Vertit manum suam contra me tota die, senilem reddidit carnem meam & cutem meam. Hic quidem Jeremias a parte externa ordiri & cutem carni præmittere hoc modo debuisset: Senilem reddidit cutem meam: & deinde ad partes internas progrediendum erat. Aut facto ab ipsis ossibus,

ut

ut parte interna initio, ad externa procedendum fuerat. Verum indicare voluit, malum in medio, in ipsis scilicet visceribus hærere, quod nonnunquam ulcere quodam enato foras prorumpit, adeoque dixit: Senilem reddidit carnem meam, & pellem meam. Nonnunquam vero malum altius penetrans, ipsa etiam ossa rumpit; hinc ita loquitur: Et confregit ossa mea. Sed ad propositum, unde digressus eram, redeo, pronuncians: Importunam illam conversandi rationem, quam Hebræi cum judicibus sive rectoribus, & magistris suis exercent, hosce legatos nostros in profundos miseriarum gurgites præcipitasse. Neque ad protervìæ culpam deprecandam, aut salutem vindicandam, Clarissimo Salomoni sua sapientia, neque collegæ ipsius singularis prudentia quidquam profuere. Diligenter igitur notandum, & ad vitæ usum traducendum illud est; quod sapiens quidam elegantissime dixit: Quisque iis domi privatim assuescat, quæ foris publice usui sunt futura. Qui enim domi suæ nugis atque ineptiis assuevit, consuetudo illa, quæ paulatim in naturam abit, eum etiam publice nugari & ineptire facit. Huc sine dubio illud pertinet, quod argute quidam dixit: In loco, ubi nulli homines sunt, virum te præsta. Scilicet ubi nulli homines sunt, qui te videre pos-

ſint, ibi etiam vir omni virtute inſignis eſſe ſtude, ibique probe tecum diſpice & meditare, quid publice dicendum agendumque ſit. Præcipue vero hoc, quod dicitur, notate; Quandoque parca pietatis noſtræ officia legatos noſtros in errorem & culpam impellere. Quemadmodum vates divinus Eſaias cap. XLIIII. verſu 25. pronunciat: Convertens ſapientes retrorſum, ſcientiam eorum ſtultam faciet. Si enim illi, qui legatos mittunt, omni virtute & pietate eſſent inſignes, tum Deus legatis ipſorum ea certo inſpiraret, quæ dicenda convenienter eſſent. Nec temere eſt, quod expiationis die orare ſolemus: Deus noſter, Deus patrum noſtrorum, regito ora legatorum populi tui domus Iſrael, inſtrue eos, quæ loqui debeant, doce eos: & quæ ſequuntur.

XLII. Conſilium eſt mihi Salomoni, hic principum, quos Babylone atque in Perſarum regno ſibi gens Hebræa elegit, ſeriem pertexere, cauſâ additâ, quare principes iſti noſtris temporibus eſſe deſierint. Hoc ipſum enim merito reliquis fatalibus gentis Hebrææ malis accenſendum erit: unde quilibet facile æſtimare poterit, gentis noſtræ majeſtatem, quæ nobis ſub ſervitutis jugo anhelantibus, in his imperii noſtri reliquiis clare eluxit.

Hiſto-

Hiſtoriam vero ſcriptam legi in veterum quondam ſapientum reſponſis. Quando ſibi olim Principem lecturi erant Hebræi, quem ſua lingua נשיא & ראש הגולה Naſi & roſch hagola, id eſt, exulum caput appellant; Babylonem conveniebant Academiarum rectores, doctores, civitatis principes, ſenatores & judices, quotquot in regno eſſent. Hic paratæ erant ædes magnificæ, aulæis ſplendide obductæ, ſedibus, in quibus Academiarum rectores, doctores, & ſeniores conſiderent, inſtructæ: præcipue vero ſplendidâ quadam ſellâ, in qua futurus Princeps collocandus erat: huic aliæ duæ adſtabant, altera a dextris, altera a ſiniſtris, quibus Academiæ Syriacæ & Pompeditæ rectores inſidebant. Tum in frequenti procerum ſapientumque conſeſſu Syriacæ Academiæ rector aſſurgens, Principem his verborum auſpiciis prudenter admonebat: Noli faſtu quodam & animo elato fratribus tuis ſuperbe dominari: Nos enim tibi ſervitutem, non imperium conferimus: quemadmodum ſacræ monent literæ 1. Reg. c. XII: v. 7. Si hodie fueris ſervus populo huic, ſervierisq; eis, & reſponderis eis, locutuſque eis fueris verba bona, erunt tibi ſervi omnibus diebus. Die Jovis in ſacram ædem frequentes conveniebant; ubi dum Academiarum rectores Principi manus ſuas imponerent, alii interea tubis, alii vero cornibus accinebant, cuncti

autem

autem bene ominantes festa voce acclamabant: Noster vivat Princeps vigeatque æternum. Ille Princeps noster; ille exulum caput est, exulum caput est Israëlitarum. Deinde ipsum domum rite deducebant, ubi tubis denuo canentes ipsi potestatem faciebant regendi gentem Hebræam, integritate, justitia, prudentia, moderatione, & longanimitate, hisce legibus: quoniam aspera & iracunda Hebræorum gens est, hanc imperandi servitutem, non sine Numine susciperet: memor imperium bono principi, qui officium faciat, nomine tantum imperium, reipsa ob maximas curas, fatalem servitutem esse. Nam si duces nostri longanimes sint, qui offensas tolerare sciant, nullæ inter nos simultates, nullæ factiones regnent. Hinc universi a Principe digressi illi eodem die aurea argenteaque munera pro suis quisque opibus domum mittebant. Tum Princeps magnifico in diem sabbathi instructo epulo Academiarum rectores, senatores & regni proceres, quotquot ibi erant, domi suæ excipiebat. Die Veneris Principi in sacra æde cathedram erigebant, undique aulæis bombycinis auro argentoque distinctis vestitam. Die Sabbathi vero omnes Academiarum rectores & proceres Principis ædes mane adibant, quem ex ædibus suis ad sacram ædem euntem pro-

prosequebantur frequentes : præibat populo suo Princeps : mos enim apud Babylonios Reges & principes est, ut ipsi subditos suos præcedant. Præeuntis Principis facies bombycino panno tecta, nemini conspicua erat. Ad sacram ædem pervenientibus præcentor festum hoc carmen auspicabatur: Benedictus sit, qui dixit; & quæ sequuntur. Cui Academiarum rectores aliud carmen succinebant, cujus initium hoc est: Benedictus sit, qui dicit & facit. Deinde præcentor rursus subjiciebat: Benedictus sit, qui decernit aliquid & præstat. Cui Academiarum rectores his verbis respondebant: Benedictus sit, qui hæc admiranda creationis opera fecit. Atque sic usque ad illa benedictionis verba, Anima omnium viventium: carmen suum prosequebantur. His actis omnes cantores & alii peritissimi Musici, circa Principis cathedram convenientes, preces suas instrumentis Musicis cantabant; donec sacer divinæ legis codex ritu nostro ex arca depromeretur. Deinde Principem facie velatum in cathedram deducebant, quem secuti Syriacæ atque Pompeditæ Academiæ rectores in sede illic posita collocabant. Hinc divinæ legis liber ex arca sua in cathedram ferebatur, ex quo primum recitabat Princeps, deinde Academiarum rectores.

Lecti-

Lectione finita Princeps, clausis ob legis divinæ reverentiam oculis, orationem ad populum habebat: Quam si ille forte non haberet, Academiæ Syriacæ rectori habendam committebat. Illa autem Oratione Princeps populum ob admissa vitæ crimina acriter perstringens, ad pietatis officia hortabatur, imprimis vero auditorum animos excitabat ad stipem egregia liberalitate præstandam, sustentandis Academiarum studiosis: ipse vero Princeps ad liberalitatem exercendam cæteris omnibus exemplo suo præibat, & pro divitiis suis studiosis beneficium conferebat: cujus exemplum universi secuti, incredibilia liberalitatis officia præstabant, solo honorandæ legis atque Principis etiam studio. Præstitis his pietatis officiis, universi consurgentes Principi bene ominabantur his verbis: Magnum & sanctum sit Dei Optimi Maximi nomen, qui est in mundo, &c: quando vero ad hæc verba: Viventibus vobis, perventum esset, dicebant: Vivente Domino nostro, Principe nostro, oriatur liberatio Israëlis, & adveniat Messias. His peractis Princeps assurgens gratiam divinam precibus supplex singulis orabat. Primo omnium & quidem honoris causa gratiam divinam Academiarum rectoribus ardenter implorabat, scilicet ut illâ divinitus collustrati in sacra

cra

cra lege & in Thalmudico opere felicius proficerent. Deinde preces fundebat pro piis, qui in populo magna pietatis officia exercebant. Hinc Deum propitium orabat iis, qui publicis gentis Hebraïcæ distinebantur negotiis. Mox Deo singulas his verbis provincias commendabat: Deus hanc provinciam prosperet, eamque a bello, pestilentia, & cæteris fatalibus malis propitius defendat; atque in diebus hisce liberetur Juda, & in alta pace agat Israël, & quæ sequuntur: Ultimo omnium tacite voce submissa precabatur, ne externus quispiam audita forte ipsius verba vulgaret, nos invocato summo Numine aliis regnis jugum & servitutem imprecari, quia ipsi non, nisi per aliorum ruinas emergere possumus. His omnibus peractis, læti atque ovantes cum Principe domum redibant, ubi positis mensis accumbentes epulabantur. Cum mensæ solenni ritu consecrarentur peculiaribus precibus Principi fausta precabantur. Ex hoc die Princeps in publicum prodire desiit, domi suæ cum certis viris, quibus id negotii datum esset, diebus festis atque profestis precibus rite fundendis vacans. Cum Princeps Regem esset conventurus, præmisso, qui ipsum de instante Principis adventu admoneret, simul accedendi ad eum veniam petebat. Rex facta accedendi copia, advehendo

Hebræorum principi, proregis sui pilentum mittebat, quo ipso familiam Davidicam decorabat, ex qua Hebræorum principes oriundi erant, Princeps vero currui propter regni honorem insidere recusans, præcedentem vestibus auro distinctis indutus sequebatur. Præibant quinquaginta satellites, alii vero omnes Hebræi, quotquot Principem ad Regem tendentem in publico forte conspiciebant, sese illi continuo adjungere, eumque ad Regem usque prosequi religione quadam tenebantur. Quando vero ad aulam pervenisset, Regis eunuchi ei occurrentes præcedebant, donec proxime ad Regem deduceretur. In quo hoc maxime memorabile, quod servus Principis anteambulo aureos nummos in publicum spargere solebat. Princeps proxime accedens Regem humi procumbens venerabatur, deinde in alterum pedem se erigens, ex regni more ostendebat submisso hoc gestu; se subjectum & Regis servum esse: qui eunuchis suis innuebat, ut Principem in sella proxima a sinistris collocarent. Tum Rex majestatis ostentandæ causa paulisper conticescit, mox ad Principem conversus rogat. Ut vales, o Princeps? qui Regi respondet: Ego quidem, te Rege bene valente, valeo, quem utinam diu nobis salvum atque incolumem

pro-

propitius ſervet DEUS! Tum interrogat Rex: ut valet populus tuus? Aſſurgens hic Princeps ea, quæ referenda ad Regem videbantur, referebat. Abiturus vero ornata & ſapienti oratione Regi feliciſſima quæque apprecabatur. Hanc gentis Hebraicæ majeſtatem, Regni Babylonici proceres & plebs ipſa, Principi noſtro invidentes has invidioſas voces vulgo jactabant. En gens Hebræa nimis quam feliciter agit, incredibili quodam ſtudio emergere connitens, periculum certe eſt, ne duce aliquo ex regia quondam Davidis familia, correptis regni faſcibus, imperium invadant, & qui adhuc nobis ſervierunt, imperare nobis incipiant. Proinde quid agendum ſit, ſerio deliberemus. Conſtituerunt itaq; prætereuntem illac Principem una cum Academiarum rectoribus interimere. Mox facinus, ut conſtitutum erat aggreſſis, rumor in regiam perfertur, quo exciti ſatellites ad opem ferendam laboranti Hebræorum Principi accurrunt; ſed interfecto jam Principe, ſera illa auxilia erant, reliquos tamen periculo ereptos ſervaverunt. Hebræi hoc malo docti principatum iſtum protinus abrogandum eſſe cenſuerunt: Satius arbitrati, ſine duce ſecure agere, quam ducem habentes inſanæ plebis furori obnoxios eſſe. Habebat autem Princeps ille tabulas, qui-

bus genus suum ad Regem Davidem usque referebat; sed nullos in posterum sibi sumant imperii fasces, nisi DEUS ipse Hebræorum gentem ex alto miseratus, ipsis ducem aliquem præfecerit.

XLIII. Anno quinquies millesimo octogesimo primo, mense Junio, funestum Mesurense excidium fuit, tum temporis per totum illud regnum dira grassabatur pestilentia, quam Christiani nemini, nisi Hebræis civibus suis imputabant. Eos enim fama erat, consilia iniisse cum Mesurensibus rusticis, qui Vatiniano in cives odio flagrabant, quod ipsis necessarium ex urbe victum non suppeditassent. Et quandoquidem Judæos cum rusticis scelerata consilia agitasse, Christianis constabat; dixerant enim Judæi, se venenum allaturos rusticis Mesurensibus, qui id ipsum se in flumen injecturos promiserant: Rex fama accepta, sine ullo rem accuratius cognoscendi studio, Judæos, qui in urbe erant, comprehendi & in carcerem conjici jubet. Cum jam novem menses in carcere squalidi exegissent, Rex in innoxios Judæos conjuratum esse tandem cognovit: quapropter pudore suffusus, quod insontes consilio adeo præcipiti in carcerem dedisset, dictitare cœpit: se illos non odio, ut illius sceleris reos; sed amore quodam, tanquam ad Christiana sacra perducendos

dos in vincula rapuisse. Hinc Judæi quidem tormentis; sed frustra subjecti fuerunt: cum constanter in sacris suis perseverassent, quindecim Judæorum millia exusta sunt, quorum nemo diris supplicii cruciatibus, ad alieni Dei cultum compelli potuit.

XLIV. In Hispania monachus quidam fuit Judæis semper acriter infensus, scilicet ut vetus habet verbum: Quicunque Judæos affligunt, magni evadunt; nempe is erat, cui Regina expianda vitæ suæ crimina confiteri solebat. Hic consiliis suis Reginam concitavit, uti Judæos ad Christiana sacra compelleret, aut si pervicaces ea amplecti negent, illos ferro trucidari juberet. Regina monachi consilio obsecuta, idem a Rege efflagitavit. Rex Reginæ petitioni protinus annuens Judæis aut in Christiana sacra transeundum, aut regno exeundum esse, edixit. Hinc scriptæ sunt tabulæ, quibus hæc Regis sententia contra Judæos promulgabatur. Qua intellecta Judæi adeunt quendam ex proceribus, Judæorum studiosissimum: Judæi enim in Hispania, Regibus, Proceribus, sapientibus atque prudentibus viris semper chari acceptique fuere: neq; aliunde enata fuerunt odii & exiliorum nostrorum semina, nisi ex incondita plebe, quæ semper obstrepere solebat Judæis in Regnum advenientibus rerum necessariarum pretia in

immenſum creviſſe, annonamque inclementiſſime flagellatam eſſe. Illud etiam culpabant, quod Judæi falcem in opificiorum ſuorum meſſem immiſerint. Altera vero malorum noſtrorum tempeſtas oriebatur ex monachis, qui, ut ſanctimoniam ſuam populo probarent, acerrimi ſcilicet Chriſtianæ religionis promotores, quotidie aſperas atque tribunicias contra Judæos ad populum orationes habebant; quibus hoc unum agebant, ut plebis per ſe ſatis ferocis animos magis exaſperarent. Quod vero ad cæteros Chriſtianos attinebat, illi Judæos æſtimabant, & ut cives indigenas impenſe amabant, ut admodum ſenes Hiſpani, qui olim pueri iſtis rebus oculati teſtes interfuere, teſtari ſolent. Vir ille unus de numero procerum, Judæis conſilium petentibus, ita reſpondet: Regina ſacra auri fame laborat, proinde ſubito quinquaginta aureorum millia conficite, eaque in ædes regiæ proximas, quas monſtrabo vobis, deferte: ego vero curabo, ut Regina illas ædes prætereat, cui tum rebus veſtris optime conſulturus, quæ tollendis malis veſtris ſaluberrima videbuntur conſilia, lubens ſubjiciam. Judæi, quod ſummus vir illis conſilium dederat, ſequuntur. Poſtridie vir ille Reginam illac prætereuntem comitatus, ita compellat: Illuſtriſſima Regina, numquid

fas

fas est, vineam, quæ hujuscemodi fructus profert, excindere? Eopse die vir quidam doctissimus ex nostra gente oriundus, cui magistro Martino di Lusina nomen erat; forte præteriens, Judæos, his verbis est affatus: Nolite indictum per Reginam vobis exilium metuere: Ipsa enim mutato in melius consilio quietum in Hebræos accepit animum, mentemque benignam: ipse ille dudum vobis exitium molitus monachus, cras in crucem agetur. Iste enim Regum mos est, ut si cujus consilio decreta quædam fecerint, interfici eum jubeant, mox decreta etiam illa rescindant. Hac nocte testati sunt Regis ministri, se deprehendisse monachum illum obscœnos jocos amantium more Reginæ locutum: accersita Regina rem ita se habere confirmavit. Quo cognito, Rex monachum extemplo cruci suffigi jussit. Allatæ etiam literæ, quibus exilia Judæis decernebantur, discissæ sunt. Subolebat enim Regi, monachum vaferrimum Reginæ opera usum, ut certius Judæis exitium cuderet: quandoquidem Rex se invitum Reginæ obsecutum esse fatebatur. Suum quoque aurum Judæis redditum fuit. Hanc historiam alii aliter narrant; sed hæc, quæ tradidi, ea sunt, quæ literis consignata accepimus.

XLV. Anno

XLV. Anno quinquies millesimo quinquagesimo tertio Barcinonius cœtus periit, atque magna etiam ex parte Gironensis: mox & plerique per Cataloniam habitantes Judæi misere interierunt, incerta atque incognita mali causa.

XLVI. Anno quinquies millesimo centesimo septuagesimo secundo, crudeliter divexati, & tantum non oppressi fuerunt Hebræi. Extitit enim Romæ Pontifex quidam, qui manibus pedibusque Judæos à sacris suis avellere nisus, eos asperrimis edictis premebat, donec tandem Hispaniarum Regina, quæ tum temporis regnum administrabat, in idem consilium cum Pontifice maximo coïverit. Hinc Judæi domo ad supplicium abrepti, variis suppliciorum cruciatibus crudelissime exagitati fuerunt, adeo ut sedecim hominum millia a Mosaïcis sacris descivecrint, multis aliis ob fidei constantiam vel exustis, vel inter alia cruciatuum genera fœde extinctis. Qui vero supplicium fuga evitare voluerunt, per agros confecti passim ceciderunt, quorum inhumata cadavera feris prædæ fuerunt. Pauci ægre hanc tempestatem evaserunt, illi scilicet, qui fugientes omnes facultates suas obviis viatoribus atque agricolis concesserunt.

XLVII. Anno quinquies millesimo centesimo quin-

quinquagesimo primo Christiani contra Judæorum cœtus conjurarunt, Turensem, Lugritensem, Carionensem atque contra reliquos, qui in finitimis locis essent, præcipue vero contra Burgosensem cœtum, qui sapientia atque divitiis erat illustris, hos tantis angustiis eo redegerunt, ut a Mosaïcis sacris desciverint. Qui vero in cæteris locis fuerunt Judæi, ob sacra sua exusti sunt. Ex eo tempore cœtus, qui in Hispania erant, miseriis conflictari cœperunt, quæ indies augescebant: Omnes enim Christiani, aut saltem plurimi id agebant, ut Hebræorum reliquias extinguerent.

XLVIII. Virorum sapientissimus & virtute celeberrimus M: Schem Tob gentis nostræ cladem quandam hunc in modum narrat: Anno quinquies millesimo centesimo quinquagesimo, Rege Henrico etiamnum puero, multi Christianorum in Hispania coörti, ut Hebræos a sacris suis abstraherent, eos diris infandisque cruciatibus divexarunt; adeo certe, ut Hebræi, ex quo aris focisque suis caruerunt, nunquam acerbiora fata sint experti. Tandem itaque assiduis cruciatibus fessi, plurimi a Mosaïcis sacris defecerunt, imprimis vero cœtus Hispalensis longe omnium fre-

quentissimus, maximam partem descivit, uti & Cordubensis & Æsigensis: nec non cæteri per Andalusiam, aliasque urbes dispersi, qui nempe Magritæ, Liescesæ, Oconiæ, Goitæ, Castellæ, Magdinæ, Moniosæ, Turigosæ fuerunt, ex quorum numero nemo evasit. Qui vero alibi cœtus erant, immanissima quæque etiam perpessi sunt, nec ea literis prodere fas est, ne, cum dictu atque factu horrenda sint, mortalium animos gravissime vulnerent. Illud vero hic minime prætereundum, ex eo tempore Judæorum mala, quibus jactati fuerunt, immensum invaluisse.

XLIX. Sub Rege Johanne Regis Henrici filio rursus Judæos invaserunt Christiani, subtractis enim vitæ necessariis, dura quædam edicta promulgarunt contra illos, qui fuga aut latebris tuti, Christiana sacra nondum susceperant: publice negotiari, atque Christianis vitæ necessaria vendere severiter interdictum. Incusabantur enim a Christianis Judæi, quod aromata ciboſque veneno inficerent, neque porro Chirurgicam & Medicam artem cuiquam, præter Regium medicum, gente Judæum, exercere licuit: tum agros domosque emere prohi-

hibiti Præterea juſſi ſunt, ut rubra nota inſignes per publicum incederent; qui vero contra facere auderet, e veſtigio interficiendum eſſe. Innumera quoque alia edicta contra nos vulgata fuerunt, quibus nos ita agitarunt Judæos, ut facile omnes aſſiduæ vexationis pertæſos, a veriſſima lege Moſaïca abſtraxiſſent, niſi nobis DEUS jampridem contrarium promiſiſſet: Eſaï. cap. lix: vers. 21. Verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, ex hoc tempore & uſque in ſeculum. Satis ſit nobis unum illud teſtimonium à DEO ipſo perhibitum; qui nos in ſacris noſtris Moſaicis in ſeculum conſervabit. Hæc illa ſunt, quæ ſapiens ille ſupra memoratus literarum monumentis perſecutus eſt.

Paſſi præterea ſunt Hebræi multas clades alias, atque funeſta exilia, quæ nemo literarum monumentis perſcripta prodidit, neque unius hominis eſſe cenſeo, omnium regnorum urbiumque nomina, quæ Hebræi per totum terrarum orbem diſjecti colunt, memoria tenere. Quædam vero ita triſtia atque horrida ſunt, ut ea ſilentio præterire, quam commemorare ſatius eſſe videatur; fidem profecto in nobis invenit divinum illud oraculum

Levit. capit. xxvi: versu 38. Et peribitis inter gentes, & absumet vos terra inimicorum vestrorum. Hebræorum certe, qui Hierosolymis atque ex reliquis Palæstinæ locis in Hispaniam transportati fuerunt, nec millesimus quisque superfuit: qui vero in Gallias atque Germaniam venerunt, cum in sacris suis constantius perseverarent, plerique deleti sunt. Trucidabantur enim infinita hominum millia, de quorum immenso numero, qui olim Ægyptum duce Mose egressos facile æquarent, vix quinque millia superfuerunt. Nobiliores vero Germani calamitates suas in annales retulerunt, ingenti opere mala, quæ ibidem perpessi sunt, complexi; supervacuum igitur esse arbitror, hic illis diligenter conscripta denuo conscribere: præcipue cum tanto locorum intervallo divisus, res, ut gestæ fuerunt, vere expiscari nequeam: sed justus est Dominus, cujus dicto rebelles fuimus. Quando pœnas crimine nostro dederimus dignas, DEUS nos propitius respiciet, atque in pristinas sedes de exilio nostro postliminio reducet: faxit hoc DEUS Optimus Maximus.

Ipse ego Salomo alios clades alias, his cladibus

bus ſimiles narrantes audivi, alias hiſce oculis vidi, eas dico, quas accepiſſe eos conſtat, cum ex Caſtella & Luſitania exterminarentur, tum enim edicto quodam per monachum Vincentium quempiam fabricato, miſere exagitati fuerunt. Ea hic commemorare conſilium mihi initio fuerat; ſed cum viderem clariſſimum virum Judam Abrabanielem ad eum Levitici locum capit. XXVI: verſu 14. Uſque ad cap. XXVII: qui gentis Hebraïcæ ſupplicia continet, omnia illa, exceptis paucis, fideliter eſſe executum, parcendum ſupervacuæ operæ exiſtimavi. Pauca tamen illa, quæ vir ſummus ſcribere aut noluit, aut neglexit, addere hic eſt viſum. Infanda mala, quæ paſſi Hebræi ſunt, cum Caſtella pulſi cederent, haud quiſquam mortalium nec cogitatione, nec oratione aſſequi poſſit; præſertim, ſi quis conſideraverit Saguntinam illam famem, quam in maritimo itinere ſuſtinuerunt: prædonum rabiem, qui illis quotidie bona ſua ferociſſime ereptum ibant: nautarum ſævitiam, qui illos in longinquas inſulas devectos publice venundabant, fama vulgantes, ipſos acie victos, belli jure captos eſſe. An non filios habet Iſraël, ſi non habet hæredem: & quæ ſequuntur? ut precari ſolent Hebræi. Complures in mare

præcipites

præcipites dederunt, eos ægrotare causati, ut vacuas miserorum possessiones involarent. In aliis vero, qui ex Castella, ad declinandam illam tempestatem, terrestri itinere, eo confugiebant, divinum hoc oraculum Deut. cap. XXVIII: vers 61. fidem invenit: Omnem etiam infirmitatem & plagam, quæ non est scripta in libro legis hujus, inducet Dominus super te, donec perdaris. Toleti in urbe maxima ingentem calamitatem Hebræi quoque passi sunt, tempore Clar: viri Samuelis filii Susin, qui Academiis in Ægypto & Hierosolymis magna pietatis officia quotannis præstare solebat. Verum enimvero paulo post durum illud edictum, quo ex Castella ejecti erant Hebræi, mitigatum est opera Clar: Samuelis, exilii nostri Principis, qui eo nomine in Castellam venit. Erat autem Clar: Samuel, supra memoratus, mihi sanguine junctus, ex Davidica familia oriundus, quemadmodum antiquissima generis illius monumenta, quæ habebat, abunde fidem faciebant. Res ut gesta est, in meo opere, quod Virga Furoris inscribitur, fusius mihi est perscripta: unde illi, qui antiquitatis vestigia diligenter indagant, memoriam illius petere possunt.

LI. Libri hujus autor Salomo in hunc modum ora-

orationem prosequitur: Causam exilii, quo ejecti Castellæ regno Hebræi sunt, totamque adeo rei gestæ rationem, ipsamque historiam uberius persecutus est summus & incomparabilis ille vir Isacus Abrabaniel, in ipso statim limine commentariorum, quos ad enarrandos Regum libros scripsit; visum mihi totam illam historiam, eleganti & diserta ipsius oratione perscriptam, hic inserere: Verba ejus ita habent: Anno quinquies millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, Rex Hispaniarum Regnum Granatense occupavit, cum ipsa urbe Granata, quæ regni caput est, magnitudine atque splendore nulli urbium secunda. Rebus feliciter gestis, impius Regis animus, ipso Esavo sceleratior, insolescens continuo hæc secum: Quas dignas gratias agam atque habebo DEO, qui mihi vires in bello suffecit? quas DEO illi, qui mihi urbem hanc subjecit? Nempe sic illi gratum animum probavero; si gentem, quæ per devia errorum fertur, palantesque Israëlis oves, tutelæ ipsius restitutas, ad debitum obsequium revocem. Effera illa filia, mihi aut ad Christiana sacra cogenda, aut regno meo ejicienda erit. Non ultra in regno meo habitabit, neque posthac grata acceptaque mihi erit. Proinde promulgatum est Regis edictum, nihilo mitius eo, quod Medorum, Persarumque Rex

olim

olim vulgari jussit. Edictum, quod præco promulgavit, hoc erat: Vobis universis Hebræorum familiis edictum esto, si sacra lotione abluti, Christianorum DEUM adoraveritis, terræ fructibus mecum gaudebitis, hic versantibus quæstum facere licebit: Quod si imperio parere, Deumque meum adorare & colere recusatis, exilio vos parate, regni mei finibus excedite, Hispaniam relinquite, Hispalim, Balearides insulas, loca imperio meo subjecta, ingredi vobis capitale esto. Intra tres menses cedite, nec quisquam Hebræorum in regnis meis remaneto. Ego, cum hæc agerentur, ipse in regia forte versabar, me ad ravim usque, omnium opem implorando, fatigavi: Regem ter supplex, flebili voce compellavi: respice nos, o Rex, noli subditos tuos tam inclementer habere, quin posce potius, o Rex, aurea argenteaque vasa, quamplurima munera, imo quicquid Hebræus habet, libenter patriâ permutabit. Rogavi etiam amicos meos Regi gratissimos ministros, ut Regem infestum genti meæ placarent: nec non & consiliarios fatigavi, qui Regi serio suaderent, ut edictum illud, quo se Hebræos perditurum promulgaverat, rescinderet. Sed ut aspis ad incantantis vocem aurem, pulvere opplens obturat; sic Rex, ad sup-

opplens obturat; sic Rex, ad supplicum preces, animum obduravit, pernegans consilium mutaturum se, etsi cunctis Judæorum bonis potiri liceret. Adstitit quoque a dextris Regina, Judæis inimicissima, quæ Regem acri oratione sua identidem hortabatur: quod feliciter cœpisset; fortiter exequeretur. Nos quidem, mitigandæ Regis sententiæ, omnem operam frustra navavimus: neque auxilii, neque consilii copia ulla fuit, feris regnantibus furiis. Gens nostra per omnia loca, in quibus aut regium edictum erat promulgatum; aut tristis edicti fama vagabatur, ingenti planctu fatum suum deplorabant. Certe longe maxima erat ista calamitas, cui parem nunquam senserunt Hebræi, ex quo aris focisque suis carentes, incertis sedibus vagantur. In his furiarum undis fluctuantes Judæi, alii alios, quo jacentes animos erigerent, his verbis hortantur: Quicquid erit, fortunam omnem pro gentis & legis nostræ gloria fortiter ferendo superemus: utramque animose ab infestissimis calumniatoribus defendamus. Si vitam nobis relinquant, vivamus; sin eripere placet, moriamur. Ne sanctissimam legem nostram violemus, affectuum impetum, non consilii rationem secuti. Quin, quod bene vertat Deus, hinc migremus omnes, &

alias alibi quæramus ſedes. Excîta itaque ſedibus ſuis uno die trecenta peditum millia, ſine armis ex omnibus regni locis confluxere, juvenes, ſenes, infantes atque mulieres, ituri omnes, quocunque viam fata monſtrarent: in horum numero ipſe ego quoque fui, duce atque auſpice Deo, inde migravimus. Alii in Luſitaniam, alii in Navarram, vicina regna concedentes. Sed illic quoque multis malis conflictati, alii prædæ atque ludibrio fuere, alii fame aut peſte perierunt: alii mari ſe credunt, ut hunc malorum nimbum certius evaderent, & tutiores ſibi ſedes quærerent; ſed nec in medio mari fatales calamitates defuere: Multi, ut vilia mancipiorum capita, per Chriſtianorum terras, pretio venditi: multi maris profundo hauſti, plumbi inſtar ſubmerſi ſunt; multi, navibus, fatali quodam incendio conflagrantibus, igni extincti ſunt. Denique ſæviſſima Dei vindicis ſupplicia omnes tulerunt, neque cuiquam tantorum malorum immuni eſſe licuit; nimirum convenit miſeris, quæ oraculi fide edita ſors eſt: Qui in ferrum incidit, ferro periit & quæ ſequuntur. Immiſſa quoque ab irato infeſtoque Numine peſtis inviſos eos, odioſoſque omnibus mortalibus reddidit: adeo, ut univerſi tot tantiſque malis confecti, tandem miſere perierint,

præ-

præter oppido paucos, qui in tutum salutis portum vix enavigarunt, ut majores nostri oraculum hoc de nobis pronunciasse videantur: Ecce defessi sumus, universi periimus. Magnus ille Deus laudatus sit.

LII. A senioribus, qui ex Hispania discesserunt, hanc accepi historiam, nautam quendam, cum in navi ejus Hebræi pestilentia correpti laborarent, eos in locum incultum exposuisse, ubi inedia plurimi perierunt. Alii animos confirmantes, perrexerunt pedites, terram habitatam quæsituri: inter quos quidam uxorem duosque liberos admodum infantes habens, iter etiam est ingressus. Uxor vero cum non assueta esset itineris molestiis, fessa expiravit. Maritus portans suos infantes tandem etiam fame cum infantibus suis languidis defecit. Pater vero refectis aliquanto post per somnum viribus, ab animi deliquio, ad se redit: Experrectus duos infantes suos inedia videt extinctos, ipse tamen inter omnes istas angustiarum undas fluctuans, in hæc verba cum stomacho erumpit: Magne Deus, universi Dominus, multum tu quidem me exerces, ut legem tuam deseram; certo tamen scias, velim; me vel invitis cœlitibus omnibus Judæum esse, semperque mansurnm: frustra igitur adhuc illa omnia sunt, quibus me miserum

tam inclementer exercuisti, atque posthac es exerciturus. His dictis congesta arena atque gramine filios suos obruit; quæsiturus terram humanis vestigiis cultam, atque suos socios Judæos; qui nihil illi præstolati, omnes processerant, metuentes, ne & ipsi forte inedia fracti, in itinere deficerent. Quilibet enim in lubrico & infelici Parcarum limine positus, sui tantum, non etiam alterius curam habebat.

LIII. Judæi in Fessense regnum delati, satis quoque nimium iniquis illud ingressi fuere, asperrimam statim famem perferre coacti. Regni enim Fessensis cives eos urbibus suis prohibuere: metuentes, ne, tanta Judæorum accessione, luxurians populi frequentia, annonam flagellaret. Huc igitur perlati Judæi fixis ruri tentoriis, latrantem stomachum herbarum esu placabant: quas utinam uberi copia agri suppeditassent! (cœli enim æstus & siccitas plerasque exusserat, hinc raras, quas forte investigaverant, herbarum radices eruebant. Plurimi famis asperitate extincti fuerunt, quorum cadavera passim per agros sparsa & inhumata jacebant, sepeliente eos nemine; cum cæteri viribus inedia exhaustis, ita emaciati essent, ut vix cutis ossa tegeret. Diebus Sabbathi, dentibus bestia-

rum

rum more proni herbas depaſcebantur. Et ſane difficillimis hiſce rebus, multum præſtitiſſe gratulabantur ſibi, quod non manibus radices evulſas comediſſent; manuum enim opera adhibita violata ſabbathi religio fuiſſet. Hoc miſero rerum ſtatu, accidit res dictu & auditu horrenda. Afer quiſpiam viſam formoſam virginem inter Hebræos, coram aſpectantibus parentibus, vitiavit, & tanquam re bene geſta abiit. Semihora poſt perditiſſimus ille reverſus, vitiatam ſibi virginem lancea confodit. Aliis, qui hoc forte viderent, interrogantibus, quid crudeliſſime mortalium innoxiam tranſfodiſti puellam? Reſpondet ille: verebar, ne ex vitio hoc gravida virgo pareret, & natum infantem Hebræorum ſacris innutriret. Nunc mihi dicat aliquis, an poſt homines natos, Sol unquam tantum ſcelus aſpexerit? Illud etiam minime prætereundum videtur: inopem quandam mulierem, cum ipſa videret, filium ſuum languidum, ac propemodum exanimem, triſti dolorum certamine conflictantem, cui jam mors ipſa ante oculos erat: quo triſti hoc ſpectaculo defunctura, filium immanibus dolorum cruciatibus eriperet, arrepto lapide, filii caput percutiendo, mortem illi acceleraſſe: tum ſe ipſam quoque laborum tædio

crebris

crebris ictibus interfecisse.

LIV. Judæis ruri circa Fessam versantibus, fames ita invaluit, ut nonnulli filios suos, in servitutem ad levandam famem civibus pane vendiderint; Rex vero Fessensis benignissimi ingenii princeps, cum jam fame pulsâ felicior temporum facies reluxisset; edicto promulgavit; ut qui pueros Judaïcos panis pretio comparassent, illos gratis parentibus suis restituerent.

L V. Haud procul Fessâ ad maritimam urbem Saleam, cum magna quædam navis staret, & Hebræorum pueri quotidie frequentes circa maris littus versarentur rimantes; si quid forte in eo explendæ fami invenirent. Visos eos nauta ad se in littus vocavit, & singulis panis frustum dedit. Qui pane accepto, gestientes, hoc veluti novum aliquod prodigium, cæteris pueris significabant. Qui desideratæ rei famâ permoti, postridie numero centum quinquaginta ad navim alacres properant. Nauta blandis verbis incautos & famelicos pueros in navim pellexit, pollicitus: se omnibus panis abunde daturum esse, modo navim ingrederentur. Pueris navim ingressis, sublatis anchoris, vela ventis dedit, & universos abduxit. Quo tristi nuncio Hebræi perculsi, imprimis vero mulieres ad maris littus

littus concurrunt, & miserabili planctu frustra opem conclamant; nemo enim aderat, qui miseris opem præstare posset. Puerorum igitur matres infando atque inaudito planctu & ejulatu maris littora complent: improbus vero plagiarius ille, formosiores reliquis segregavit; illos regni proceribus dono dedit: reliquos in servitutem divendidit.

LVI. Hebræorum, qui ex Hispania ejecti fuerunt, nonnulli ad Italiam sunt perlati, ubi cum gravi fame affligerentur, & dira etiam pestilentia in navibus laborarent, primum in terram exscendunt: cum vero cives eos urbibus suis non reciperent, Genuam petunt, quæ quamvis ipsa quoque fame laboraret, cives tamen miseros in urbem admiserunt. Pueri in urbe cum famis asperitatem tolerare non possent, mutatis sacris, simulacra colere cœperunt, ut scilicet in ampliorem vitæ statum transscriptis famem saltem explere liceret. Tum multi Christianorum per publicum incedebant, una manu crucem, altera vero frustum panis ostentantes; qui Hebræorum pueris identidem ingerebant: hem panem vobis, si crucem hanc venerati fueritis. Hoc quidem modo multi famelici a Mosaicis sacris descifcentes Christianis commixti fuerunt.

LVII.

LVII. Aliqui eorum, qui Genuam pervenerunt, fame tandem fatigati Romam petunt, horum adventu exciti Judæi, qui Romæ habitabant, concurrunt, atque inito consilio impediendum esse statuunt, ne sibi admisceantur externi: frequentioribus enim Hebræis, vitæ rationem sibi arctiorem fore metuebant. Proinde subito confectos mille aureos dono dant Pontifici, acriter instantes: ne advenientes Judæos in ditionem suam reciperet. Pontifex Maximus, re audita, ait: hoc novum atque Hebræis inusitatum facinus mihi esse videtur, semper enim audivi: Judæum misereri Judæi. Quomodo igitur, improbis istis postulatis tantam suam crudelitatem produnt? comminatus itaque Pontifex Maximus, se quoque edicto illos Roma ejecturum esse. Coacti igitur fuerunt Hebræi, cives Romani, alteros bis mille aureos conficere, quibus, ne Româ pellerentur, Pontificis iram placarent: deinde ut & alii isti advenæ simul intra mœnia reciperentur, qui misere ex Hispania ejecti, hic tandem recepti, errorum suorum finem, vitæque quæstum fecerunt.

LVIII. Nauta quispiam, qui Hebræos ex Hispania ejectos vehebat, consilium eos interimendi cepit, ut facultatibus illorum potiretur; sed forte in navi una vehebatur mercator quispiam,

vir

vir insigni pietate, qui ferocem nautam opportune identidem admonere non desinebat: Magnum nefas esse, innoxium sanguinem fundere. Cui respondebat improbus ille: Meditari se, quo pacto sanguinem Christi ab ipsis fusum ulcisceretur.

Tum contra mercator: Christus ipse sanguinem suum fundi passus est, quo genus humanum ab exitio liberaret; & tu adeo iniquus es, ut fusum eum, teque liberatum nolis: imo salutare mortalibus beneficium, tanquam insignem aliquam injuriam Christo factam vindicare studeas? Ego sic censeo, eos in insulam aliquam deportandos esse: quod si ibi moriantur, quid refert? levis est jactura tam parabilis annonæ. Tu saltem manus tuas sanguine illorum non contaminaveris. Tum crudelissimus nauta Hebræos vestibus exutos juxta rupem, quæ in littore erat, in locum desertum incultumque, nec hominum vestigiis unquam calcatum exposuit. Hic nemo miserorum loco suo ob pudorem se movere audebat, cum omnes Liberide nudiores essent, nisi forte nocturno tempore, quo pudori consulentes per tenebras ambulabant. Invento forte in littore

dulcis aquæ fonte corpora malis fessa reficiebant. Triduo illico in tantis miseriis exacto, alius alii ait: Conscensa rupe circumspectemus, si quam urbem, aut pagum prospicere possimus, unde salutis aliqua spes affulgeat. Hinc magno tædio atque labore in rupem evadunt, & dum hominum vestigia atque salutem quærunt, in leonum antra atque exitium incidunt. Leones in Judæos irruentes hominem unum ex iis comprehensum discerpserunt. Quo viso reliqui Judæi trepidi se ex rupe præcipites dantes, ruina elisi sunt. Alii, qui ad imam rupem salutem expectabant, ad evitandam irruentium leonum rabiem, in mare insiliebant: regressis in antra leonibus terram, quam deseruerant, repetentes. Cum autem in tanta trepidatione & rerum omnium egestate miseram vitam per quinque dies traxissent, ecce annavigantem ex alto navim prospiciunt, nautæ quoque conspectos eminus in deserto littore nudos homines, ut nova quædam maris monstra admirabantur: sciebant scilicet locorum gnari, eam terram nec habitatam, nec habitabilem esse. Nauclerus igitur ex numero nautarum unum misit ad cognoscendum, quid tandem rei esset? Cui Hebræi rem totam, ut gesta est, enarrant ordine. Hinc nauclerus miserorum calamitate permotus, Judæos

in

in navim recepit, & ex diſciſſo veteri velo, cuique fragmentum ad velanda pudenda dedit: mulieribus vero induſia, verecundiæ ipſarum conſulens, ſuppeditat, omnibus cibum potumque largiter ſubminiſtrans. Donec tandem ad locum, quem Judæi incolerent, delatus, omnes exponeret, metuentes; ne poſt tot caſus & tot rerum diſcrimina, quibus jactati uſque eſſent, miſeros quoque pretio divenderet. Terra potiti continuo ad Judæos illius loci incolas mittunt, fidem eorum implorant, quorum proceres navim ingreſſos nauclerus in hunc modum affatus eſt: Non miſeros jure belli captos poſſideo, ut parem eos divendere, quod falſo ſuſpicantur: Hoc mihi ſatis erit, ſi mihi impenſas meas reſtitueritis. Judæorum proceres, ſumtibus ſtatim redditis, etiam munus addunt. Defuncti igitur tantis errorum periculis Hebræi, cum proceribus popularibus ſuis in urbem eunt, qui iis alimenta Iſraëlitico more ſubminiſtrarunt. Grande hoc beneficium a nauclero acceptum grata ſemper memoria proſecuti ſunt, pia aſſidue vota pro incolumitate ejus facientes, quo bonorum dator & munerator Deus vitam illi in ſeram uſque ſenectutem feliciter prorogeT, & præmia reddat tantis meritis debita.

LIX. Quid de sævissimis Olysipponensium edictis dicam? omnium certe miseriarum longe miserrima fuit comprehensio puerorum, quos in insulas non habitatas, perditas illi vocant, relegarunt: cum Judæorum liberi regio jussu comprehensi in naves abriperentur, mulieres, incredibile dictu est, quam miserabili planctu atque ejulatu omnia late compleverint: hanc calamitatem, qui fama non accepit; næ ille nullam unquam calamitatem fando audivit. Nemo Judæorum miseria permotus vel solari miseros; vel oppressos ab injuria vindicare sustinebat. Ea tempestate forte mulier erat, quæ post ereptos sibi sex filios, se ad pedes equi, quo Rex sacram ædem ingressurus vehebatur, supplicem abjecit orans atque obtestans: Sibi minimum natu filium saltem redderet, quo unius incolumitate cæterorum jacturam solari posset; sed durum Regis animum flectere non potuit, per satellites Regis jussu repulsa; qui precibus lacrymisque acrius instantem asperrime increpuerunt. Rex tamen missam eam facerent jussit, cani, quæ ereptos catulos ploraret, similem esse, dicens. Aspiciat justis oculis hæc improba mortalium facta ex alto DEUS, & miserorum causam, justissimus vindex

dex potenti manu afferat. Sunt qui tradant; hujus crudelissimi edicti hunc fontem fuisse: Hebræos ex Hispania ejectos, Lusitaniæ Regi certam auri summam pollicitos esse, ea lege, ut se in regnum reciperet. Sed cum multi datam fidem non exolvissent, hoc perfidiæ præmium tulisse. Multi puerorum ob mutatam rationem victus & cœli temperiem in navibus misere extincti sunt. Multi in insulas deportati, a serpentibus icti, qui ibidem in paludibus atque littore maris frequentissimi stabulantur, interemti sunt. His malis accessere nova stuprorum atque incestuum genera; cum alii familiam suam agnoscerent; alii vero originis suæ incerti essent. Labentibus enim annis juvenis quidam sororem suam sibi matrimonio junxit; alius etiam inde in patriam reversus matrem uxorem duxit.

LX. Cum forte ab urbe abessem, Hebræi Olyssippone incredibili strage gravissime concussi fuerunt: quam mihi paulo post in urbem reverso exposuerunt populares: rei gestæ seriem alii aliter narrabant; in hoc tamen uno ore consentiebant omnes, rem nimis, quam crudeliter gestam fuisse. Quæ nos hic tradimus, ea ab idoneo autore, venerandæ ætatis viro ipsi hunc in modum accepimus. Celebri illa Paschatis nocte Christiani deprehenderunt aliquos

a Judaicis ad Christiana sacra compulsos, panem non fermentatum atque herbas amaras comedere, quas lex divina ipso Paschatis festo comedendas olim præscripsit Hebræis. Hinc ad Regem abrepti in carcerem compinguntur, donec dignas scelere suo pœnas luerent. Magna tum forte fames Lusitaniam premebat, ex pluviæ penuria & flagrantissimo cœli æstu orta, Christiani congressi frementes inter se dicebant: Quamobrem fatalia hæc mala, nisi ob impiæ hujus gentis scelera nobis & terris nostris immisit DEUS. Quod cum monachi, quos prædicatores vulgo appellant, audirent; omnes vires suas & nervos in illud intendebant, ut hanc Christianorum opinionem suffragio suo in animis hominum confirmarent: Aliqui igitur ex eorum numero acerrimas contra Judæos in sacra æde invectivas ad populum habuerunt: mira quoque arte simulacrum finxerunt concavum, a tergo ostiolum, pectus vero ex vitro affabre factum habens, cui cum accensam lucernam immisissent, novum ignis prodigium a simulacro editum famâ vulgant. Quo viso vulgus humi procidens, conclamat: Grandi hoc portento haud obscure significare DEUM immortalem; omnes Judæos flammis exurendos esse. Interea temporis Judæus quispiam in Christiana sacra coactus in-

ingreditur, qui cum supra dicta non audivisset, nihil dum mali cogitans, dicit: Utinam vero aquâ aliquod monstum editum fuisset, cujus penuria sicco & æstuante hoc cœlo potissimum laboramus: ignis enim parum solatii afflictissimis rebus nostris afferat. His concitati verbis Christiani, qui jamdudum causam quærebant, quamobrem in Judæos insigne aliquid facerent: in hominem, ut miraculi sui illusorem, feroces irruunt, eumque templo exturbatum interficiunt. Quo interfecto frater ipsius advolat, exclamans: heu! heu! frater mi, quis te interfecit? Adstans illic quispiam miles ei caput decussit, fratremque fratri junxit. His actis monachi sublatis in altum crucibus, in forum properantes, proclamant: Quicunque Judæum aliquem obtruncaverit, centum diebus admissa vitæ crimina purgatorio igni expiaturum. Populus tanta spe impulsus, armis correptis, longe lateque grassari cœpit, & triduo tria Judæorum millia concidit, quorum cadavera in forum protracta exusta sunt. Regnantibus hisce iratæ plebis furiis, multæ gravidæ feminæ de fenestris præcipitatæ fuerunt, quas alii subeuntes hastis ita exceperunt, ut fœtus ex utero excussus, ad aliquot cubitos prosiluerit. Alia præterea crudelissima facinora & flagitia patrarunt,

runt, quæ consulto prætermittenda duxi. Narrant nonnulli hujusce mali caput & causam fuisse Judæum quendam, Mascarino nomen erat; qui cum esset publicanus, omnibus Christianis pariter exosus, non modo se illis stolide præferre; sed multa etiam nova cum Christianorum fraude introducere est ausus: eventus ipse famam hanc confirmasse videtur: Invento enim Mascarino, & frustillatim conciso, cunctus sævientis plebis furor in Judæos repente repressus resedit. Olysipponis judicibus atque cæteris proceribus hujus nulla tempestatis culpa imputari potest, hæc enim ignaris atque invitis ipsis gesta fuerunt: quin ipsi eripiendis Judæis gnaviter; sed incassum laborarunt: immani enim rabie concitata multitudo in ipsos quoque involasset; nisi præcipiti fuga vitæ periculum vitassent. Lusitaniæ Rex, vir pius, tum forte absens, re audita valde animo turbatus fuit: qui mox Olysipponem reversus in facinoris autores inquirit, & monachos scelerati consilii autores, & hujus facinoris duces fuisse deprehendit. Quapropter sacram illorum ædem, ut omnis incendii causam dirui statuit: quod purpurati prohibuerunt. Deinde omnes illos, qui Judæos interfecerant, securi percuti jussit. Tum consiliarii

liarii veterem imperii legem Regi ostendunt, cujus sententia hæc est: Si quinquaginta, aut plures etiam homines scelus, aut cædem aliquam admittunt: non quinquaginta illi homines; sed soli consilii autores morte plecti possunt. Rex igitur comprehensos monachos exuri, atque urbem Olysipponem, quæ olim fidelitatis semper titulo gloriabatur; per triennium rebellem appellari jussit.

LXI. Fando accepimus, improbos aliquos in Hispania vulgasse: se deprehendisse in ædibus cujusdam Judæi puerum Christianum occisum, cujus de cadavere cor execuissent Judæi, quo Pascha suum celebrarent. Ex hac machinatione grave malum imminebat Judæis, quod Salomo Levita vir sapientissimus, & arcanæ Cabalisticæ artis peritus feliciter est amolitus; hic posito sub pueri lingua divino nomine puerum resuscitavit: qui necis suæ atque exemti cordis autores indicio prodidit; scilicet improbos aliquot Christianos, qui Judæis exitium moliti insontibus sua crimina affingebant. Hæc non quidem scripta; sed ut diximus, fando accepimus.

LXII. In amplissima urbe Hispali fuit M: Judas quondam Virgæ filius. Cum Hispali sacra primum censura induceretur, quidam ex civibus dixerunt:

ſi cognoſcere velint eos, qui a Judaïcis ad Chriſtiana ſacra compulſi, ritibus atque Judaïcæ religioni pertinaces inhærerent; comprehendendum eſſe M. Judam filium Virgæ: eo enim duce atque autore, cæteros Judæos in religione ſua permanere. M: Judas præſagiens animo, quæ mala ex hoc ſacræ cenſuræ fonte in gentem ſuam eſſent derivanda; tria turturum paria in feneſtra ſua collocavit: unum deplumatum atque mactatum, quorum collis hæc verba inſcripſerat: Hi ſunt illi, qui a Judaïcis ad Chriſtiana ſacra compulſi, omnium poſtremi deprehendentur. Alterum par deplumatum; ſed non mactatum erat, cui hæc verba addiderat: Hi ſunt medii. Tertium par plumas cum vita habebat; quod hæc verba legenda prodebat: Hi omnium erunt primi. Judæi vero ad Chriſtiana ſacra coacti, ſaluberrima hæc ipſius monita negligentes, in eam calamitatem, quam poſtea miſerrimam perpeſſi ſunt, imprudentes inciderunt. Complures Judæi, qui coacti in Chriſtiana ſacra iverant, igni exuſti fuerunt; ut internecione fati leges impleſſe videantur. Ipſe vero Judas tempeſtatem iſtam enavigaturus Olyſipponem aufugit: ubi comprenſus, variis tormentis miſerrime diſtorquetur, ut proderet eos, qui ad Chriſtiana ſacra coacti, animo & ſenſu Judæi,

cul-

cultu vultuque, quo' maxime ſimulatio ſuſtinetur, Chriſtiani eſſent. Sed vir ille, quantumvis aſpere tortus, extorqueri tamen ſibi nihil eſt paſſus, quo populares ſuos, de quibus interrogabatur, proderet: ſed inter ſæviſſima tormenta forti atq; infracto animo perſtans, exſpiravit. Hujuſce viri aliorumq; ſanctiſſimorum hominum merita, uti nobis atq; toti poſteritati, fauſta atq; felicia eſſe poſſint, faxit DEUS immortalis.

LXIII. Salomo inquit: Si quis mortalium animo & cogitatione percurrat magnas illas calamitates, quas patiuntur Hebræi; incredibili certe admiratione ductus, ita quærere poſſe videtur. Quænam tantarum irarum cauſa eſt, quas DEUS in Judæos evomit? Nulla certe uſquam ſub cœlo gens tantis malis unquam eſt conflictata: cum tamen alias gentes, Hebræâ longe gravius Summi Numinis majeſtatem violaſſe conſtet. Hujuſcemodi quæſtionibus hoc divinum Oraculum apte occurrit. Amos cap. III: verſu 2: Tantum vos cognovi ex omnibus gentibus terræ, idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. Huic vero ſeptem alias adjiciamus cauſas, quæ miſeriam hanc noſtram nobis pepererunt. Prima majorum noſtrorum crimina ſunt: quemadmodum ſapientes noſtri per hæc demonſtrarunt verba Exod. XXXII: verſu 34. In die

visitationis meæ visitabo in eis, & hoc peccatum eorum. dicentes: Nulla tibi Israël pœna infligitur, quin partem criminis per impiam aurei illius vituli venerationem, majoribus nostris olim commissi, malo tuo etiam nunc luas. Quod ipsum vates Jeremias in Lament: suis. cap. v: versu 7. conqueritur: Patres nostri peccarunt & non sunt: Nos vero pœnas iniquitatum eorum portavimus. Altera causa est; meritorum nostorum tenuitas: levibus enim meritis nostris longi errores nostri per se finiri nequeunt. Hoc omnium gentium ingenium est, ut propter legis nostræ odium & profundam imperii cupidinem universos mortales ad sacra sua pertrahere studeant. Rationem sapientes nostri allegarunt, quare mons ille, in quo data est lex nostra, Sinai; quæ vox & odium significat, appelletur? quia inde scilicet propter legem primum odium est pronatum: quia lex nostra cum cæteris gentibus cibum potumque sociare vetat: quæ duo mortalium animos potissimum jungunt, atque mutuo amoris vinculo devinciunt. Hinc doctores nos nostri ab eo sunt dehortati dictitantes: Convictum cum gentibus viam esse expeditissimam, qua dissidentes facile concilientur. Quemadmodum fu-
sius

ſius ad hæc Jer. cap. xiv. v. 22. verba. Tu enim feciſti omnia hæc: rem ipſam explicuerunt. Tertia eſt cædes Jeſu Nazareni, neque fruſtra Moſes Exod. cap. viii. v. 24. dixit. Quodſi mactaverimus ſeu immolaverimus abominabiles Ægyptiorum Deos in conſpectu eorum, nonne nos lapidibus obruent? Quarta cauſa ſunt graviſſima hæc tria amoris genera; 1. Amor legis. 2. Feminarum. 3. Divitiarum: de quibus Hebræi cum cæteris gentibus pari libidine certant. Iam enim in Hiſpania Hebræi Chriſtianas puellas amare cœperunt: ex nimiâ, quam cum Chriſtianis habent, conſuetudine. Aliqui etiam libere pronunciare audent: Leve illud crimen eſſe, Chriſtianas amare puellas; cum levi luatur ſupplicio, fuſtuario inquam: minime videntes, ſe multis æmulorum inſidiis obnoxios eſſe; qui ipſis ſubinde vitam eripiunt: atque adeo Cabaliſtas ipſos æternis ſuppliciis vivos mortuoſque mactandos pronunciare. Hoc vero omnium graviſſimum & maxime miſerandum eſt crimen; ſi enim ſcortum ex Hebræo fiat gravidum; ſimulacrorum aliquando cultorem ipſum genuiſſe, certo certius erit. Divitiarum cupido impulit Judæos, ut falcem ſuam in mercaturæ & opificiorum Chriſtianorum

messem non tantum immiserint; sed quod omnium pessimum est, furtis atque rapinis intenti sint. Si enim quis Hebræorum in furto, aut rapina aliqua deprehendatur; Christiani more suo, unius scelus omnium Judæorum culpam faciunt; neque hercle sine insigni summi Numinis contumelia; ut verum fateamur, illi ex corruptissimis moribus nostris, objiciant nobis, nulla nos religione, aut lege teneri: quemadmodum tristi quidem; sed vero ore vir summus Moses Mecozi pronunciavit. Hoc unum scelus ad prorogandos errores nostros satis momenti habere videtur: Enimvero quis nescit, oraculum contrarias vitiis nostris virtutes à nobis exigere? Zephan. cap. 3 vers 13. Reliquiæ Israëlis iniquitatem non admittent, nec loquentur mendacium; nec invenietur in ore eorum lingua dolosa. Sexta causa est, quod genti nostræ pejerare nulla religio est, scripsitq; Aben Esra, hoc causæ satis esse, ob quam exilia nostra proferantur. Septima est superba ambitio, quâ aliqui ex gente nostra laborare cœperunt: adeo, ut in Christianos loci indigenas, rerumque dominos, superbe imperium affectaverint. Causa etiam fuit prava ambitio, quod eodem anno, quo ex Hispania pulsi fuerunt, ipsa expiationis nocte in conciliabulo suo quidam de loco inter se certantes, cor-

reptis

reptis facibus, quæ ante ſacræ legis repoſitorium rite accenſæ ardebant, alii alios petiverint: atque hujus generis crimina per gentem noſtram regnant plurima. Hinc juſtiſſimus ſcelerum vindex DEUS, quem flagitiis noſtris irritare non deſinimus, fatalia hæc mala in tot nobis ſecula producit. Cum vero triſtiſſima hæc graviſſimorum caſuum ſeries, mortalium animos merito turbare poſſe videatur, diſcutiendo tædio mihi hic inſerere viſum fuit, quod auditu jucundum, uſu fructuoſum eſt; Sacræ Ædis fabricam, ejuſque, ſupra quam dici poteſt, incredibilem magnificentiam, qualem eam a ſummo viro Verſorio deſcriptam accepimus, quam per literas quidem deſcriptionem ab illo petiit & impetravit Rex optimus Alphonſus; quam ego de Hebræo in Latinum verti.

LXIV. Exemplum literarum Regis Alphonſi ad Verſorium infra ſcriptum eſt:

Verſori ſapientia ſumme, prudentia celeberrime, atque conſilio admirabilis: in regia noſtra verſantem te Patrem appellavimus: noſtroſque cives tuis unius auſpiciis ſemper reximus; inſciis nobis hinc digreſſum, ſi reverti huc lubeat, majori etiam benevolentia & ſtudio te amplectar, cæteris omnibus prælaturus. Novimus te in Hebræorum lege, riti-

ritibusque versatissimum: de qua gente multa nefanda audivi, adeo, ut eam regni mei finibus exterminare decreverim: (cognoscere aveo, verane illa sint, quæ vulgo jactantur.) Ajunt enim: Hebræos solennibus precibus suis ita quotidie orare solere: Perdat DEUS superbum regnum quamprimum. Quibus hercle verbis isti regni nostri interitum efflagitant. Deinde Paschatis sui festo cornu quoddam inflant, quo, ut olim ad tubæ cantum Hiericho cecidit, regni nostri excidium canunt. Aliud præterea, idque magis necessarium, a te peto, scilicet Titi Imperatoris literas, quas ad manus tuas pervenisse audivimus, quibus sacram Ædem Hierosolymitanam, ejusque impensas uberrima oratione descripsit. Consilium enim mihi est, sacram ædem Servatori nostro Christo extruere. Unde vero consilium petam, aut exemplum sumam, nisi ex rerum olim gestarum penu atque memoria? & unde justius, quam ab Hebræis, qui inter antiquas gentes sapientia antecelluisse creduntur? Præsertim si ea sit illius fabricæ descriptio, quam Salomo condidit; qui uti sacræ literæ tradunt, omnium mortalium sapientissimus fuit: At tuis rem omnem nos literis & perspicua & facili oratione edoceas. Tum quicquid petiveris, a nobis feres. Ad has literas

Ver-

Verſorius in hunc modum reſcripſit:

Sanctiſſime & potentiſſime Regum Alphonſe, qui aliorum regna evertis, ſuperbos debellas; tibi ſe Reges ſubjiciunt, atque hoſtes tui dejecti humum mordent. Cauſa diſceſſus mei ex regia tua hæc eſt: Videbam ſcilicet homines quoſdam, ordine & loco me multo inferiores ad imperii faſces adſpirare: quod cum Rex videres, diſſimulabas tamen. Quod ad quæſtionem illam de Judæorum precibus attinet, o Rex, hic ea deſcribimus, quæ in explicationibus eorum obſervare nos meminimus. Per verba illa; ſuperbum regnum quamprimum evertatur; Amalecitarum regnum intelligitur: quod ipſum Hebræi quondam rerum potiti divino præcepto funditus delere jubentur. Si vero Hebræi aliorum imperio ſubjecti vivant, quod unum in tali re poſſunt, votis ſaltem Amalecitas delere ſtudeant; quod ipſum ſacræ literæ præſcribunt: Deut. cap. xxv: vers 19. Delebis memoriam Amaleci ſub cœlo, cave ne obliviſcaris. Vocatur autem ſuperbum hoc imperium, quia Hebræis ex Ægypto egreſſis ſe ſuperbe oppoſuit: portenta enim, quæ ediderat DEUS, agnoſcere noluit, quibus tamen pervicaciſſimus Pharao victus ſe ſubmiſit, inquiens: Juſtiſſimus Deus eſt. Amalecus vero contra

manifestissima DEI prodigia insurrexit, quibus omnibus DEUS vehementer irritatus fuit, ut sacræ testantur literæ Exod. cap. XVII: vers 16. Bellum Domini cum Amaleco a generatione in generationem. Præterea ipsa etiam ratio hæc verba non aliter intelligenda esse docet. Num verisimile esse videtur, o Rex, Judæos precibus suis tui regni eversionem efflagitare, cum singulis hebdomadibus, quando sacræ legis codicem in conciliabulo suo circumferunt; DEUM tibi orare soleant: ut ipse tibi vitam diu feliciter proroget, & regni tui fines propitius proferat? Deinde famosissima illa expiationis nocte, quando omnes sacræ legis codices, quotquot in arca inclusos servant, promere solent, pro regni pace & incolumitate supplices orant. Sic etiam in precibus, quas per quadraginta noctes publice fundunt, his verbis: Da nobis pacem in regno, pacem ardenter orant. Num igitur credibile, o Rex, eos hisce dictis, non diversa modo; sed etiam adversa in precibus dicere? & suo se, quod ajunt, gladio jugulare? Rem per se manifestam cordatis judicandam relinquimus. Quod ad ipsius cornu cantum attinet: de eo Hebræorum scriptores ita loquuntur: Eo ipso innui ultimi aliquando judicii diem futurum, quapropter cornu inflantes succlamant.

mant. Expergiſcimini o dormientes! Deinde & Iſaci memoriam hoc cantu celebrant, qui Abrahamo eopſe die immolandus erat. Præcipue vero hujus cantus ratio hæc eſt, quod eodem die finem ſuum Ægyptia ſervitus habuit, quo poſt tot laborum faſtidia in libertatem vindicati ſunt Hebræi: Mos enim olim fuit Hebræorum genti, cum manumitteretur ſervus, ut cornu canerent. Utinam vero hiſce paria atque ſimilia ſemper faciant Hebræi! Cave autem, o Rex, premere Judæos, adhuc enim vidi neminem, qui genti huic exitium molitus, non ſibi ſuiſque exitium attulerit. Non quod vera ſinceraque ſacra colant; ſed quia Deus miſeros atque inopes reſpiciat atque vindicet. Pſal. LXIX: vers 34. Audivi præterea, o Rex, quod Hebræos ad Chriſtiana ſacra perducere ſtudeas: quæ ſane res votis etiam expetenda eſſet, modo ſpes aliqua affulgeret, rem ex ſententia ſucceſſuram. Qui enim vi ad Chriſtiana ſacra compelluntur, religioſius, quam antea, clam ſecum legem Moſaîcam obſervare ſolent. Ego accepi, Hebræum quendam, qui ad religionem Chriſtianam coactus erat, ſacram ædem frequentantem, Servatoris noſtri myſtico corpore, dum res divina perageretur, in altum ſublato, pectore manu percuſſo, dixiſſe: Væ hæc videnti!

 denti!

denti! Væ hæc credenti! Fertur etiam Hispalensis sacræ censuræ præfectus, duci dixisse: quodsi cognoscere velit, qui ex coactis Hebræis diem Sabbathi more Judaico observarent, turrim conscendendam esse, atque ex alto Judæos a Christianis discernendos esse. Turri protinus conscensa, censor duci ait: Hinc ex alto has Hebræorum ad Christiana sacra compulsorum ædes despice: ex quibus nullum fumum emergere videris, illic Hebræos latere suspicator. Dux latis circumquaque oculis plurimas domos observavit, ex quibus nullus fumus provolvebatur: cum tamen ratio temporis, asperrima scilicet bruma, ignem vel maxime suscitari postularet: sed in causa erat, quod Mosaïcis sacris pertinacius inhærentes die Sabbathi focum accendere nolebant. Me etiam in Hispania virum quendam novisse memini, qui ad Christiana sacra vi adactus toto anno panem non fermentatum comedebat, ut die Paschatis eundem nihil mali suspicantibus Christianis comedere impune posset, causatus stomachum suum fastidire fermentum. Die vero festivo, quando Hebræi cornu canere solent; tum hujuscemodi Christiani rus prodeunt, solitudinem nacti inter montium antra & speluncas cornu canunt. Ne quis mortalium, cor-

nu

nu ſonitum audiat. Lanionem quoque habent, qui mactatis animalibus femoris nervum, pinguedinemque lege prohibitam adimit, & bene purgata animalia ad latentes Judæos occulte defert. Habent præterea magiſtrum, qui clam præputium præcidit. Alii ſibi ipſis præputia demunt, metuentes; ne conſciis aliis, ad ſupplicium rapiantur. Alii legis Moſaïcæ codicem in aromatario ſacco occulunt. Pari etiam aſtu cætera ſuæ legis præcepta obſervare ſtudent. Quid ergo refert, o Rex, ſacras baptiſmi aquas in Judæos perdere: eoſque Chriſtiano nomine Petrum, aut Paulum appellare, cum ſeveriſſimi legis Moſaïcæ cultores eſſe non deſinant, eamque ad ultimum vitæ ſpiritum, ut Aciba & Tariphon, defendere contendant? Nihil quicquam certe juvat, o Rex, Judæos invitos facere Chriſtianos, quo ipſo illis dabis occaſionem, ut ſimulate Chriſtiani vere Chriſtianis ſuperbe inſultent. Tum enim ſe vultu cultuque Chriſtianos fingent; quales etiam omnibus haberi debent: & induto Chriſtianorum nomine, majorem quoque licentiam induent. Deinde etiam vectigalia, quæ Judæi antea pendere ſolebant; ſolo Chriſtiano nomine armati excutient. Denique hoc a me diſcas velim, o Rex, Judaïſmum morbum eſſe inſanabilem. Quod ad ſecundam quæſtionem

attinet; hoc consilium meum est: Pulchrum & gloriosum Christiano nomini futurum, ne unquam tibi in mentem veniat vel cogitare, templi struendi aliquod exemplum petere, ab eo templo, quod condidit Salomo; aut ab æde secunda, quæ post exilium Babylonicum instaurata fuit. Ipse enim Salomo, licet sapientia & divitiis omnes, qui Orientem colebant, vinceret; templum tamen hoc sine singulari DEI auxilio excitare non valuit. Et ne videar, o Rex, excusationum latebras petere, quo minus imperata faciam; ecce me promtum paratumq; ad omnia, quæ possum, pro te tentanda. Quod Titi Imperatoris literas nactum me esse dicis, ego quidem illas, antiquitatis amore mire flagrans, Romæ diligenter quæsivi, sed nullas Titi literas inveni: Inveni hoc exemplum literarum Marci, consulis Romani, quas ille, dum Judææ præturam Hierosolymis gereret, rogatu Romanorum, simile templum molientium exaravit, literarum hæc sententia est: O populus ab omni ævo longe felicissime; populus totius orbis domine, prudentissimi Senatores magnæ & augustæ urbis Romæ. Petitis a me maximi proceres, quod præstare non opis est nostræ; nemo enim, nisi quod ipse oculis suis usurpaverit, ex vero depingere potest,

teſt, atque Judæi neminem in ſacram ædem ſuam admittunt, hoc enim grande nefas credunt. Unica tantum eſt aula, quam externis ingredi fas eſt, præter illam nullam aliam novi; niſi quantum ſacerdotes ſacris miniſtrantes mihi retulerint, aut ipſi mihi hiſce oculis foris perſpicere licuerit, nempe quo oculorum acies pertingere valuit. Qualis quantaque ea ædes fuerit, ut clarius cognoſcatis, in ſuas eam partes, quibus conſtat, breviter & dilucide dividam, 1 in ædis materiam. 2 Locum, 3 Fabros, 4 Impenſas, 5 Menſuram, 6 Conclavia. 7 Fores, 8 Sacram ſupellectilem, 9 ædis miniſtros, 10 & cultus religioſiſſimas ceremonias.

I. Materiæ ædis decem genera erant: 1 lapides 2 cedri 3 abietes 4 corallia 5 aurum, 6 argentum, 7 gemmæ, 8 ferrum, 9 æs, 10 ſtannum. Corallia, ut Romæ fama cognovi, arbores rubræ ſunt, more corallii, ut narrant, licet nunquam iis arbor ea viſa ſit, niſi tantum exigua quædam ejus fragmenta, unius digiti, aut ad ſummum totius manus inſtar. Sed Sacerdotes mihi confirmarunt, corallia integras arbores eſſe: percunctanti, quid ex iis confecerint, reſpondent: Trabes templi atque adyti ejus: & miranti, unde tanta corallia habuiſſent, narrant: ſapientiſſimi Salomonis beneficio, qui

rerum

rerum omnium, quæ universo hoc continentur, ut naturam, ita ſedem atque locum ſciverit. Ille, qua divina ſapientia erat, mare, quod Libanum alluit ſinu ſuo illas coralliorum arbores, ut Libanum vertice ſuo cedros, alere ſciebat. Inde illas educi juſſit, arte novâ, quam ſummâ ſapientia ipſe inveniſſet: Educendi modum hunc narrabant: Adhibebant vaſtam navem arena plenam, quæ ſuo pondere illam deprimeret. Tum viro natandi & urinandi perito, maris undas ſubeunte, qui craſſum & validum funem à malo navis religatum, imo corallio alligaret, arenam egeſſerunt, atque ita navem, depoſito arenæ onere, emergentem atque allevantem ſe, ipſa corallii arbor radicibus ſuis evulſa ſequebatur. Roganti mihi: Quamobrem etiam hodie tantæ coralliorum arbores non invenirentur? Reſpondent: Mare illud à continente remotius ab accolis non frequentari, atque ita inde non afferri, niſi ramorum particulas quaſdam a mari ejectas, quæ ſunt fragmenta illa, quæ nunc habere ſolemus. Præterea narrabant: Se ex illis coralliis inſtrumenta Muſica feciſſe, multoque pluris, quam aurum ipſum æſtimatum, quia color ejus floridior multo eſſet, quam ejus, quod nunc habemus: colorem enim pro cœli atque aëris ratione variare ſolet; ut & lapides

lapides pretiosi omnes. Memorabant quoque quibus usibus æs atque stannum servierit, scilicet vasis quibusdam, quæ levioribus ministeriis sacrata essent: ferrum clavorum materiam præstabat: lapides longi erant, in fabrica Salomonis, octonas, partim etiam denas ulnas. Ajunt quoque: Eam, quam nunc habent ædem, Herodis opus esse: quam enim ædem Cyri Regis beneficio, libertate recuperata, reduces a Babylonico exilio pauperes extruxerant Judæi, ea minus magnifica atque opulenta fuit: donec magnus ille Rex Herodes Judææ regnum adeptus, veteri illa æde diruta, novam hanc extrui jussit, aliquot sui partibus ipsa Salomonica æde ampliorem & splendidiorem. Ille enim immensis divitiarum thesauris abundans, dimisit in insulas, qui quærerent, & inventos asportarent, purissimi marmoris lapides, nive ipsa candidiores, stupenda magnitudine, inventi enim lapides sunt longi viginti quinque ulnas, lati duodecim, alti octo, atque omnes lapides ab imis ædis fundamentis, usque ad summa ejus fastigia magnitudine pares erant; in quo hoc maxime mirabile; qua arte, aut quibus viribus, tantæ molis saxa, in centum amplius ulnarum altitudinem subducere

potuerint. Adhibuit quoque lapides ex mari petitos, coloribus varios, maris undas referentes, quibus similes nulla unquam vidit ætas.

II. Templi sedes in edito & prærupto monte, non vero in planitie fuit; quia mons ille antiqua patrum memoria sanctus habebatur. Narrant Judæi: In montis vertice, saxum esse, in quo fundata est universi hujus machina, illudque totius mundi medium sive centrum censeri. Eum quoque locum esse ajunt: de cujus terra primus conditus homo est, qui excitatâ illîc arâ, DEO victimas cecidit. Hic quoque filius ejus Abelus sacra fecit. Hic Noachus arca egressus immensæ DEI benignitati gratias professus est: quod se a vastis diluvii aquis, & immanibus, quas una secum in arca collectas habuerat, belluis propitius liberasset. In hunc montem magnus ille Judææ gentis autor Abrahamus ascendit, ut filium suum Isacum victimam DEO cæderet. Hebræi hunc montem Moriam appellant, quæ vox demonstratum illis significat, quia DEUS locum illum ipse mortalibus demonstravit, eumque ore suo consecravit. Præterea a Sacerdotibus accepi: Istum montem fragrantibus herbis abundasse, ut thure & myrrha, quam montis nomen Moria Arabibus signat. Hinc Judæi con-

convenientes ut in templum properent; non dicunt: in templum eamus; ſed in montem Moriam. Hic Jacobus tertius Patriarcha Angelos de cælo deſcendentes & aſcendentes vidit. De loco hoc, ſacri interpretes, qui ſunt Romæ, tradunt: Quod viderit progeniem Eſavi patris noſtri, aſcendentem, non vero deſcendentem, neque deſcenſuram eſſe. Hic vaticinia & oracula cœlitus ad ſacros vates delata fuerunt. Per hunc montem piorum mortalium animæ, ſcelerum puræ, ad æternum beatas ſedes in cœlum aſcendunt. Hîc quorumlibet preces exaudit DEUS: Sic enim a majoribus accepêre Judæi: Si externus quiſpiam ex longinquis locis adveniat, licet ab omni religione alienus, hoc loco DEUM adoret, exauditum iri, neque irritas preces futuras. Nos quoque Chriſtiani ex oraculo ſanctiſſimi vatis Davidis accepimus, hic Servatorem noſtrum natum eſſe, prout oraculum habet. Pſ. cx: vers 2. ſcipionem roboris tui emiſſurus eſt Dominus Zione. Hic eum pater ipſius ad dextram ſuam collocavit quemadmodum David inquit: Pſalm cx: vers 1. Ait Dominus Domino meo, ſede ad dextram meam. Et quoniam ille venit ad expianda peccata primi hominis, qui ex hoc loco creatus erat; ideo etiam ibidem expiator natus fuit.

III. Quod ad ædis Salomonicæ ſtructores attinet: Narrarunt mihi Sacerdotes, ad extruendam Salomonicam ædem, quinque populos conveniſſe; Tyrios, Sidonios, Gabalenſes, adventitios, & Judæos. Tyrii atque Sidonii, peritiſſimi lapicidæ & materiarii fabri erant; ſingulari peritia ingentia marmora excidendi. Gabalenſes egregii artifices incidendi ſaxis atque lignis ſubtiliſſimas rerum imagines, itidem ut aurifices & argentarii auro atque argento incidere ſolent: atque etiamnum in Palæſtina, Perſide & Media ſunt, qui lapidibus & lignis, quæ Regum feneſtris deſtinata ſunt, ſubtiliſſima arte minutiſſimas rerum imagines, inſculpant; adeo, ut ſubtilitate imagines auro & argento inciſas provocare videantur. Adventitii lapides & materiam ad loca, quo jubebantur, portabant, ſervilibus tantum operibus, & oneribus bajulandis deſtinati: etiam arbores ex Libani montis ſylva, quæ urbi imminebat, cædebant. Erant autem adventitii, numero centies & quinquagies mille, peculiari quadam nota, qua agnoſci a Judæis poſſent, inſignes. Sed illi ſuſpecti, ne quid adhuc avitæ religionis animis eorum clanculum inhæreret, a templi ſtructura arcebantur; ne vel contactu illud polluere viderentur. Fabri ex Judæis tri-

tricies mille erant, quibus, quo opus perpetuo urgerent magis, ter mille trecenti architecti præerant. Adeo, ut in universum augustissimæ fabricæ excitandæ centum octoginta millia & trecenti homines sint operati; ut post hominum memoriam nullum ædificium tanto apparatu sit extructum, quemadmodum ex Romanorum annalibus & historiarum monumentis constat.

IIII. Quarta pars impensæ erant; toto structuræ tempore Salomo victum atque amictum suppeditavit omnibus operariis atque ædis structoribus. Aluit quoque, dum templum extruebatur, quæ sane immanes impensæ erant, familiam Regis Tyriorum, atque omnes illius servos, ligna enim cædebant, quæ mari ad Judææ fines deferebantur. Præterea retulere mihi viri fide digni, atque monumentis suis consignatum ostenderunt: Regem Davidem, cum sacram ædem struere pararet, coëgisse auri centum millia talentorum, argenti mille millia, æris atque ferri immensam vim: Auri quoque Ophiriani ter mille talenta, & argenti puri septies mille, Iudæorum etiam principes & nobiles liberaliter obtulerunt auri quindecies mille talenta, & argenti decies mille talenta. Pontifices mihi narrarunt:

Omne illud aurum, ædi ſacræ inſumtum, in fictilibus vaſis liquefactum, tamdiu excoctum fuiſſe, ut de centum talentis unum modo purum fuerit eliquatum; nullum enim corpus eſt, quod non quatuor elementis ſit compoſitum, illi vero voluerunt auro omnem, quam habet, terreſtrem materiam adimere, ut ſolo jam igne atque aqua conſtans inſtar Solis atque Lunæ reſplenderet. Mihi ſacerdotes retulerunt, fuiſſe templo exornando millies millenos flores ex auro affabre factos, & lapidibus pretioſis interſtinctos: quia paries inter locum, quem Sanctum & eum, quem Sanctum Sanctorum appellabant, ad viginti ulnas totus ſolido auro infra fuit obductus, atque ſupra ad decem ulnas auro retis in modum diducto veſtitus fuit, unoquoque reticulati operis foramine clariſſima aliqua gemma, uti Sapphiro & Pyropo refulgente; adeo, ut illud decem ulnarum opus nullo pretio potuerit æſtimari, quia omne exceſſit. Reticulatum autem illud opus eſſe oportuit, uti ſuffitus ad ſanctæ arcæ ſedem penetrare poſſet. Atque literis præterea conſignatum oſtenderunt: Salomonem nihil ex donariis patris ſui Davidis extruendo templo impendiſſe, ſciebat enim, oraculo DEUM monuiſſe Davidem; ne ſibi ædem conderet. Proinde Salomo inquit: Si

ego

ego ex patris opibus ædem extruxero, id vero perinde erit, ac si ipse eam extruxisset: igitur omnia patris donaria in templi ærario condidit, atque ædem ipse de suo ædificavit: Nec quenquam mirari oportet, unde tanta divitiarum vis suppeditaverit Salomoni, qui quotannis sexagena auri talenta ex solis tributis & vectigalibus coëgerit.

V. Quinta pars ædis mensura est: Mons ille, quem diximus, Moria, quadratus fuit: longus ulnas quingentas, & totidem latus, vasto muro circundatus, qui hodieque perstat: solum totum subter concavum & fornicibus substructum est: ne si forte ante structam ædem ibidem cadaver aliquod positum fuisset, ædem atque superstantes omnes pollueret: Judæi enim, contaminari a supposito cadavere superstantes, a majoribus suis acceperunt; si vero fornix superstruatur cadaveri, superstantes non pollui credunt; scrupulosa religione. Interius a muro surgit parvus paries, decem palmorum altitudine, ex lignis fissilibus decussatim in retis modum contextus. Introrsum a pariete illo in aulam mulierum, duodecim gradibus ascenditur. Hæc mulierum aula in longitudinem atque latitudinem patet centum triginta quinque ulnas. Ex hac aula aditus in Israëlitici populi & sacerdotum aulam majorem patebat, longam

gam centum octoginta ſeptem, latam centum triginta quinque ulnas. Deinde ingredi volentibus quatuor parietes circundabant Adytum templi, quod Sanctum Sanctorum vocant. Parietes iſti ſua intervalla habebant, Adytum a tribus mundi plagis, Septentrione, Meridie, & Occidente complexa; quæ Orientem verſus in anguſtum coëuntia in unum parietem deſinebant. Hæc intervalla atria appellabantur; quæ omnia ſacris templi miniſteriis ſacrata fuere. Sanctiſſimi Adyti forma quadrata erat, cujus longitudo in quadrum viginti ulnas implebat. Fanum ſanctiſſimo Adyto ab Oriente objectum, viginti latum, & quadraginta ulnas longum erat. Veſtibuli longitudo viginti ulnas, latitudo totidem patebat. Fuit itaque longitudo ſanctiſſimi Adyti, Fani & veſtibuli octoginta ulnarum. Accepi ego, veſtibuli, Fani, & ſanctiſſimi adyti, quod Salomo & Herodes conſtruxere, altitudinem centum viginti ulnas impleviſſe. Illam vero fabricam, quam Hebræi a Babylonico exilio reverſi moliti ſunt, centum tantum ulnas altam fuiſſe. Fanum atque ſanctiſſimum Adytum triginta ulnas æquabat: quorum tectis ſuperſtructa erant duo cœnacula, quorum alterum orbium cœleſtium; alterum ſupremi cœli ſpeciem præbebat, quæ reliquum altitudinis locum exple-

explebant. Volebant enim prisci Hebræi: terreni hujus templi fabricam, superi & cœlestis illius mundi aspectabilem quandam imaginem esse. Ex Israëlis aula in Sacerdotum aulam per quindecim gradus ascensus erat: hic theatrum occurrebat, in quo Levitæ inter cædendum victimas vel voce, vel instrumentis Musicis sacra canebant. In ultima sacerdotum aula ante vestibulum ara erat, qua conscensa, in Fanum porro per duodecim gradus ascendebatur. Fanum vero & sanctissimum Adytum, ejusq; vestibulum in editiori quidem montis loco; sed tamen in plano sita fuêre.

VI. Sexta sacræ Ædis pars domos illius complectitur: Mulierum aula quatuor domos habebat, rei divinæ consecratas: hujus aulæ latus magna quoq; domus occupabat; magistris Thalmudicis accensoria dicta, quæ nomen a re sortita, magnum perpetuumq; ignem alebat; cujus usus geminus esse dicebatur. Primo hinc petebatur ignis, quo in ara victimæ incensæ adolebantur. Quo audito, sacerdotibus objeci: si ut dicitis res est, certe ficta fabula fuerit, quod ignem illũ incendendis victimis de cœlo delapsum prædicatis. Respondebant illi: Quamvis quidem ignis ille cœlo delaberetur, nos tamen divina lege obstrictos vulgarem quoque ignem adhibere oportuit: nulla enim pars est, ad quam non nostram quoque operam con-

 ferâ-

feramus. Quibus ita respondentibus ego sic insto: Has fictas Judæorum fabulas videri: quibus habere fidem mihi quidem religio sit. Tum illi indignati, inquiunt: Quodsi nunc hæc credere negas, posthac æternum ne credas. Urgere eos porro animus erat: Sed ne rem vobis facerem ingratam, vestri me reverentia retinuit. Alter hujus ignis usus reficiendis sacerdotibus erat, qui nudis semper vestigiis marmoreum pavimentum calcabant. Quæ res multis eorum immani frigore tabefactis interitum sæpe attulit. Occupabant domus hujus angulos quatuor conclavia, sacræ Ædis usibus dicata. Hæc ipsa præterea domus in pavimento lacunam habebat, cui marmorea tabula catenis revincta incumbebat: in hac lacuna Sacræ Ædis claves asservabantur: Sacerdos vero ad custodiendas fidelius claves, tabulæ fossam tegenti noctu indormiebat: mane aperiendis ostiis præfecto illuc venienti claves tradebantur. In aula Israëlis octo erant domus, omnes Sacræ Ædis cultui, innumerisque ministeriis destinatæ. Hic etiam famosissima, & toto terrarum orbe celeberrima fuit illa Senatorum Curia, quam Hebræi sua lingua לשכת הגזית appellare consueverunt: cujus ædificii tantus splendor, tantaque magnificentia fuit, ut totus terrarum orbis nihil illi simile, aut

secun-

ſecundum habere videatur. Cauſam, quamobrem hoc ipſo loco conſtructa curia erat, hanc eſſe memorabant; Quia in ea ſacerdotibus potiſſimum jus diceretur. Addebant & illud: ſi quis ſacerdotum forte a ſacro ſenatu ad ſacra peragenda, aut moribus impurus, aut aliqua corporis parte inutilis deprehenderetur, eum nigris veſtibus indutum a ſacerdotum conſortio remotum fuiſſe; qui in patriam familiam reverſus, luctum agitabat. Si vero poſtea vel ad frugem rediens, vel priſtinam valetudinem recuperans, animo probus, vel corpore integer judicaretur, feſta cœna amicis ſuis apparata læta voce exclamabat: Magnæ merito gratiæ habeantur, atque agantur DEO Optimo, Maximo, qui poſteros Aronis delegerit, ut ſacra ejus in ſanctiſſimo Fano obeant. In hac etiam aula Pontificis Maximi erat ſedes, ubi commorari ſolebat perpetuos ſeptem dies, qui magnum illum EXPIATIONIS DIEM antecederent, cujus diei ſacra Pontifex Maximus ipſe peragebat. In hac etiam domo Pontifex Maximus ſacra ipſo expiationis die peragendi ordinem & modum diſcere ſolebat ex Pontificibus anteceſſoribus ſuis. Id vero in æde ſecunda locum habuit, ubi Pontificatus non virtutis, ſed largitionis præmium erat. Hæc quoque domus hujus religio

ligio erat atque majestas, ut Pontifex per illos dies, quos in ea versaretur, in casto esset, reque uxoria abstineret. Erat & alia domus perenni puteo instructa, ex quo aqua aulis, aliisque locis ad munditiarum usus petebatur: Hic quoque domicilium suum habebat sacerdos ille, qui reliquos sacerdotes sacris operaturos, religiosis vestibus induebat: singulis quaterna vestium genera, a lege ipsa præscripta inducebat. Hæc quatuor vestium genera per totidem diversas fenestras porrigebantur; quarum singulæ earum vestium nomina, quibus erant destinatæ, inscripta habebant: ne forte per errorem, vel festinationem vestes conturbarentur. Areæ quoque & vacua loca complures domos habebant, sacris usibus consecratas. Sub ipsis etiam gradibus loca fuerunt gazis recondendis parata, quæ humi depressa thesauri divinæ Ædis appellabantur. Supra dictis locis vacuis, quæ parietum intervalla faciebant, triginta octo domus in orbem constructæ continebantur: domus tristegæ quindecim Septentrionem spectabant: aliæ quindecim Meridiem: totidem & similes Occidenté. Domus hæ ex buxina materia affabrè structæ, miro nitore & elegantia spectabiles erant: has ipsas domos templi parietibus minime contiguas esse voluere majores nostri: ne forte harum incolæ, dum se

templo

templo proximos esse meminissent, domi per ignaviam sacris operarentur, aut importuno suo in templum prospectu religionem sacrorũ turbarent. Hinc etiam templi fenestræ, quæ lumẽ admitterent, arctis cancellis decussatim cõpositis constabant: quamvis ipsæ per se altitudine longe supra domos istas eminerent: adeo ut domos illas habitantibus facile prospectus omnis in sacram Ædem adimeretur. Deinde in exteriori parietum parte, una & viginti stationes erant: in quibus excubias nocturnas agebant Levitæ; non quidem quod excubiis opus esset; sed ut honos suus atq; majestas religionibus constaret. Tres stationes intra parietes erant; in quibus sacerdotes excubabãt. Hæ vero excubiæ eo consilio institutæ fuerunt, ne sacerdotes in templo aliquod scelus admitterent, ejusque religionem scelerata & detestanda vita polluerent. Quo saluberrimo exemplo nos monemur Christiani, ut templa nostra majori religione colamus, ut apud quos celeberrima & religiosissima illa nocte, qua Servator noster mortem obiit, juventus sui impotens in templis plurima scelera atque flagitia admittere soleat. Rex Herodes, cujus supra meminimus, spendidissima accessione sacram Ædem ornavit. Quatuor illi vestibula a quatuor mundi plagis adstruxit: Cujusq; vestibuli longitudo ducentorum quinqua-

ginta, latitudo centum, altitudo centum viginti cubitorum erat; quæ ſacræ Ædis menſuram implebant. Præterea rivo Cedroni arcum impoſuit, in quo aquilas atque leones ſtatuit, quibus molem reliquam ſuſtentaturis veſtibula ſuperſtruxit. Illud autem veſtibulum, quod uſque ad rivum Cedronem produxerat, in tria tabulata attollebatur: adeo, ut, qui in ſummo tecto conſiſteret, profundiſſimum rivum deſpicere non poſſet. Hæc vero veſtibula ſacram Ædem a quatuor mundi partibus ambientia Rex Herodes conſtruxit; in gratiam illorum, qui ad celebranda tria Hebraicæ gentis feſta quotannis Hieroſolyma commeabant, ut illic diverſarentur, & præteriti itineris tædia, hoſpitii dulcedine ſolarentur. Aularum domus parietes ex lapidibus conſtructos habebant, quos tabulis veſtiverant, argenteis laminis obductis: in hanc rem argenti ſepties mille talenta inſumta fuerunt. Quibus illi argenti laminis quamplurima omnis generis arborum, florum, ferarum mundarum, aviumque ſimulacra inſculpſerant. In Fanum & ſanctiſſimum Adytum ter mille auri talenta impenſa fuere. Supra memoratum Fanum, & ſanctiſſimum Adytum primo murum lapideum, deinde parietem cedrinum habebant: pavimenta vero atque laquearia

aria

aria ex buxina materia facta erant, quæ firmior durabiliorque habebatur: tota denique fabrica intus auro obducta fulgebat: cui omnes generis imagines incisæ spectabantur, velut Angelorum, palmarum, alternato scilicet ordine: auro incisæ, inquam, imagines istæ erant: cum Hebræis per legem suam simulacra, quæ extantia corporis membra habeant, fingere non liceat, exceptis solis Cherubim. Circa Angelorum palmarumque figuras, florum & herbarum ruri nascentium imagines incisæ erant, quorum tam viva & florida facies fuit; ut non simulacra; sed medio vere flores ipsos nativa pulchritudine vernare dixisses.

VII. Septima pars nobis sacræ Ædis portas exhibet. Per quinq; portas ad montem, cui templum inædificatum erat, aditus patebat. Aularum muri septem portas habebant; tres a Septentrione usq; in Occidentem: totidem ab Occidente in Meridiem pertinebant. Septima Orientem spectabat, sanctissimo Adyto adversa. Quælibet porta latitudine dena, altitudine vicena cubita implebat. Portarum valvæ ligno constabant buxino, quibus auro obductis figuræ subtilissimâ cælaturâ affabre incisæ erant: cujus rei ipse locuples testimonium dare possum. Sola vero Orientis porta non auro; sed politissimo orichalco vestita fuit,

quod

quod ipſo etiam auro ob refulgentiſſimum ſplendorem longe pretioſius habebatur. Tradunt Hebræi: Portam iſtam ea de cauſa Nicanoris portam eſſe appellatam, quia Judæus quiſpiam nomine Nicanor valvas ejus Alexandriæ in urbe Ægypti fabricaverat. Ille igitur cum patriam repeteret, & coorta ſubito ſpurca tempeſtate, immanibus irati maris fluctibus navi quaſſata & convulſa, de naufragio periclitaretur, levando navis oneri, alteram valvarum in mare præcipitarunt nautæ. Mari commotis fluctibus nihilo mitius ſæviente; alteram quoque in mare projicere nitebantur. Id vero ſentiens Nicanor, cui valvæ iſtæ immenſo laboris temporiſque conſtiterant pretio; ſeipſum valvæ alligans, ita inſtantes nautas affatur: Si vobis ſtat ſententia, hanc etiam valvam infeſto nobis Neptuno tradere, me hic, ut videtis, alligatum una cum valva in mare præcipitem date. Hæc ubi dicta, repente præter omnem opinionem compoſitis fluctibus, velut placata maris ira reſedit; & novis ſereni cœli indiciis, meliora tempora promiſit. Tum Judæus ad mœſtum animum revocare cœpit, acerbiſſimam pretioſiſſimæ valvæ jacturam; ſed portum feliciter contingens, eam in littus ejectam inuſitato prodigio invenit. Ita caſus

sus iste portæ huic autoris sui Nicanoris nomen dedit. Hæc tradita Judæis autoribus sunt, penes quos novi hujus prodigii fides. Vestibuli porta quadraginta cubitos alta erat: Fanum parvum quoddam ostiolum, quod semper clausum servaretur, habebat. Narrabant Hebræi: Universi conditorem & rectorem Deum illac sacram Ædem ingressum, majestate sua illud sacrasse. Quibus ego respondebam: O hominum homines stultissimi! Qui Servatorem nostrum ideo abominamini, quod corpus habere dicatur: Nonne vos ipsi Deo vestro corpus affingitis, sacræ Ædis limitibus circumscripto? Ad quæ illi: Deum eo modo sacram Ædem ingressum esse, quo Sol domos ingreditur. More quidem recepto dicitur Sol ædes ingredi; cum tamen non ipsum Solis corpus; sed ipsius lumen & radii in ædes irrumpant. Confirmabant præterea: multas alias; sed exiguas portas fuisse, quas eo fine fecerint, uti cuivis cultui honos suus constaret; & per eam cultus istius ministeria rite obiri possent. Alia erat porta, per quam victimæ: alia, per quam libamina inferebantur: adeo, ut singuli cultus singulas portas haberent. Alia porta assignata erat relegatis: alia lugentibus: ad quam plurimi sacerdotes

consídebant; ut lugentium luctum solatio levarent, dicentes: Soletur te Magnus ille DEUS, qui amplam sanctamque hanc Ædem incolit: hujus portæ valvæ ex nigra jaspide factæ erant. Alia erat porta, per quam sponsis aditus patebat; cujus valvæ candido Crystallo constabant. Hic sacerdotes ingredienti sponso apprecabantur; ut DEUS illum prole bearet; quæ insigni pietate DEUM aliquando coleret. Orientalis porta, quæ Susiana appellabatur; imaginem Susorum, quæ regionis caput erant, insculptam habebat. Jusserat enim Cyrus Judæos, Susis Hierosolyma ad sacram Ædem instaurandam revertentes, regiæ suæ imaginem alicui portæ insculpere. Quo monumento exilii & calamitatum suarum memoriam retinerent, & in optimi Regis cultu & obsequio constantius perseverarent.

VIII. Octava pars templi vasa continet: In mulierum aula nulla erant vasa, præterquam quod illic in festis diebus, & solennibus celebritatibus Judæorum, magnæ aureæ lampades suspensæ accenderentur. Imam cujusque lampadis partem ingens ex auro labrum constituebat, in quod vetera & detrita sacerdotum cingula conjecta ellychniorum præstabant vicem, quibus accensis, vasti adeo ignes

ignes excitabantur; ut tota Hierosolyma iis late collucerent. In sacerdotum aula ara posita erat, quæ decem mensis ex marmore cingebatur, has, quo minus auro quoque, quod alioqui facile & familiare iis fuit, confecerint, hanc causam afferebant: quod aurum natura calidum, ingenito sibi calore, putredinem facile inducat; marmor vero contrariam naturam sortitum, nativo suo frigore a putredine defendat. His mensis victimæ imponebantur & adipes, purius conservandæ. In hac ipsa etiam aula, vastum illud aquæ conceptaculum erat, quod a Rege Salomone constructum, mare appellabatur: cujus altitudo quinque, circuitus vero triginta cubitos continebat. Mare illud duodecim bobus insistebat, quorum tres Septentrioni, tres Meridiei, tres Orienti, tres Occidenti obversi erant. Tota hæc moles floribus, herbosisque germinibus affabre cælatis resplendebat. Aqua sub boum pedibus ex perenni fonte scaturiens, per tubum influebat in mare; quæ redundanti mari per boum ora rursum effluens aquam lavandis sacerdotum manibus, aliisque ad sacra obeunda necessariis, largiter sufficiebat. Positum & hic erat malluvium a Mose quondam factum; quod decem aurea malluvia a Salomo-

ne conflata majeſtatis cauſa complectebantur. In veſtibulo proxime Fani portam Rex Herodes rem admirando opere & arte viſendam fieri juſſerat: vitem ſcilicet columnis Jaſpideis inſiſtentem, quarum baſes ex argento conflatæ erant: vitis mille auri talenta pendebat: acini & vinacea Sapphiris atque pyropis conſtabant. Quæ omnia ad oſtentandam gentis Hebraicæ opulentiam & majeſtatem comparata fuerunt: interna enim externis pretioſiora erant. Contra atque cæteris gentibus mos eſt: quæ externo aliquo ſplendore internas ſordes incruſtare ſolent. Si quis Judæorum acinum, aut uvam auream dono ferret, illic eam ſuſpendebat. In Fani porta aureus pendebat gladius, qui externos Deaſtros colentes, ſi Fanum ingredi pararent, funeſta hac inſcriptione territabat הזר הקרב יומת Externus, qui appropinquaverit, moritor. Num. cap. 1: v. 51. Prope memoratam Fani portam duæ excitatæ erant columnæ, quas ex ære conflari Salomo juſſerat. Alteram ſacram memoriæ Boheſi, primi familiæ ſuæ autoris, quæ ob id ipſum Boheſi nomen erat ſortita. Alteram memoriæ parentis ſui Regis Davidis, qui ſacræ Ædi ſtruendæ immenſum apparatum conduxerat. Cum vero in ipſo apparatu moriens eam ſtruere nequiverit: hæc

columna facti hujus memoriam retinens, Hebræo nomine יכין quasi tu, Apparabit, dicas, vocata est. Sacerdotes narrabant mihi, Salomonem eas conflasse ex ære subrubri coloris, quod vulgari nostro longe præstantius habetur, cujus illi copiam præstabat inventa æris fodina pulcherrima, ut iidem autores erant: utraque columna triginta cubitos altitudine æquabat, quarum in capitibus duo diademata tres cubitos alta surgebant: quorum utrumlibet stupenda plane arte, subtilissimo opere reticulato elaboratum fuit, cuivis centum mala Punica appensa erant; ex coronis apices quidam elegantissime palmarum vertici similes eminebant. Hæc mihi non visa; sed ex sacerdotibus audita fuerunt. Addebant & illud: coronas illas perquam subtili & stupenda plane sculptura fuisse insignes: nec non causam, quare duæ fuissent, hanc esse dicebant: Signari scilicet duo hominum genera, quorum alterum honestis vitæ actionibus: alterum vero uberrima rerum cognitione perfectum esset. Neque mihi silentio prætereundum erit, quod sacerdotibus magna cum religione dicebatur: Duas coronas illas accepisse Hebræos majores suos, qui in monte Sinai constiterint, verum illas videre mihi nunquam contigit. In Fani porta duæ mensæ quoque erant collocatæ; altera

marmorea; altera vero aurea. Ex marmore illa erat, ut in ea refrigeraretur panis recens allatus, Mosaïcæ mensæ in Fano imponendus. Ita mensa illa, usibus panis in sacram Ædem inferendi serviebat. Aurea vero e contrario usum efferendo pani præstabat. Panis enim mensæ Mosaïcæ, quæ auro constabat, impositus, religione venerabilis habebatur; quem si elatum e Fano, marmoreæ imposuissent, indignius eum tractando veneratione & sanctitate sua privassent. Paulo interius sita erat ara suffitûs & mensa ab ipso Mose magistro nostro fabricata, quam decem aliæ a Salomone factæ venerationis & majestatis causa cinxerant. Deinde decem lampades dextrum sinistrumque latus Mosaïcæ lampadis honoris causa claudebant: quas tamen unquam accendere mos prohibebat. In sanctissimo Adyto posita erat arca fœderis: Virga Aronis perpetuo florens: Oleum unctionis: Vas Mannæ: Arcæ fœderis duo insistebant Cherubim, quorum simulacra extantibus corporis membris ita collocata erant, ut Fanum conspicerent. Alæ ipsorum Cherubim ex una radice ortæ, sanctissimi Adyti parietes utrimque contingebant. Salomo alios etiam fecit Cherubim, Mosaïcis sublimiori loco collocatos. Idem ille tredecim fecit aulæa portis obtendenda, quorum quodlibet viginti

ginti cubitos altitudine, decem vero latitudine continebat, pro ostii modo & magnitudine. In sacræ Ædis cœnaculis etiam fuerunt aulæa ex lino contexta, acu picta & hyacinthino colore distincta. In æde secunda sanctissimum Adytum, atque Fanum, nullo quidem pariete divisa fuerunt; Sed gemino aulæo, inter quæ unius cubiti spatium intererat. Hæc autem aulæa a puellis menstrua nondum passis, octoginta jugis contexi solebant : quæ majestatis & pompæ causa non ultra annum usui fuere: quo exacto in sacræ Ædis thesauros reponi, quotannis bina nova texi mos erat. Festis atque solennibus diebus aulæa ex gazis ad usum revocare consueverant; tum enim aularum muris obtendebantur, quo amœno suo aspectu, pulchrâque facie miseros Hebræos recrearent.

IX. Nona pars sacræ Ædis ministros in scenam producit. Symphoniacorum & eorum, qui instrumentis canebant, viginti quatuor millia fuisse dicuntur. Cujus rei fidem mihi sacerdotes ex Paralipomenon libris fecerunt. Janitorum quatuor fuerunt millia, in stationes suas distincta; quibus centum viginti tubicines accedebant.

X. Decima pars sanctissimæ Ædis sacra & religiones complectitur: Verum enimvero pessimi isti Hebræi

mihi

mihi ea aperire noluerunt; dicentes: Nefas esse, externis, sive a sacris suis alienis sacra sua patefacere. Duo tamen mihi narrarunt, quorum partem mihi ipsi hisce oculis meis & magna cum animi voluptate videre licuit. Primum est victima; quæ in maximo Hebræorum Paschatis festo immolabatur. Alterum est ingressus Maximi Pontificis in sanctissimum Adytum, eo die, qui illis omnium toto anno habetur celeberrimus propter sanctitatem, expiationem, munditiem & gloriosissimum salutis fructum. Quod ad paschalem victimam attinet, quam ego partim ipse vidi, partim ab aliis plenius accepi; ea se hunc in modum habet: Ineunte mense Martio, ipsis Calendis Martiis prodeunt cursores & legati regio senatorumque jussu in loca Hierosolymis vicina, proclamantes, ut, quisquis oves habet & boves, eos confestim Hierosolyma deducat: ne illi, qui Pascha celebratum veniunt, victimis & victu destituantur: populus enim quotannis frequentissime eo confluere solebat. Quicunque non aderat præstituto tempore, omnia illius bona illi erepta in sacros usus convertebantur. Tum qui oves bovesque habebant, maturantes eos per flumen Hierosolymis proximum transigebant, ut contractas in itinere sordes hoc transitu eluerent; quod ipsum Salomonem

nem his verbis innuisse volunt: Dentes tui sunt sicut greges tonsarum de lavacro ascendentium. Cant. cap. IV: vers 2. Ad montes vero, qui sunt circa Hierosolyma venientes, pecoris tantam vim offendebant, ut ne soli gramen quidem usquam appareret: Omnia enim ex lanis inter agendum oves defluentibus albicabant. Pridie Idus Martias victima illa immolanda erat. Hinc sexto Idus universi prodibant ad comparandam victimam illam, quam Hebræi sua lingua PESACH appellant. Erat autem instituti Judaïci, ut quando ad religiosum hoc officium prodirent, nemini mortalium alteri dicere fas esset: huc ades, aut da viam istac transituro. Obtemperare etiam nefas ista monenti, licet etiam summi Regum, David atque Salomo in ultimo agmine incedentes, cedi sibi de via imperassent; tantum tamque vehemens religionis studium erat. Quod cum audirem, ita sacerdotibus inquiebam: istud mea quidem sententia parum civile videtur, nec bonis moribus dignum. At respondebant illi:. Hoc eo institutum esse, quo testatum facerent omnibus, ambitioni in religionis negotio locum nullum esse, pietatem virtutemque omnibus æquas, eximium neminem mortalium habere; sed humiles pariter ac

magnos, quos ſua virtus pares fecit, pari quoque honore dignari. Nec in ipſo cultus divini apparatu alium alii præferri oportere; quid dicam inter ipſa ſacra & religiones? Pridie Idus Martias aſcendebant altiſſimam ſacræ Ædis turrim, Hebræis Lul appellatam, ſimili graduum ductu ſtructam; ac noſtræ turres, in quibus æramenta campana pendent, hinc tribus argenteis tubis clangebant, ſtatim a finito clangore ita proclamantes: Audi Dei populus, adeſt illud momentum, quo Paſchalis victima cædenda atque immolanda eſt ejus gloriæ, qui majeſtatem ſuam in ſanctiſſima hujus templi ſede collocavit. Populus audita præconum voce feſtas veſtes induebat, exinde ipſo ſtatim meridie hoc feſtum univerſi auſpicabantur, hoc enim tempus cædendæ victimæ erat. Foris ad majoris aulæ portam duodecim Levitæ conſiſtebant, argentea ſceptra manibus tenentes: totidem intus ſtabant, qui aurea ſceptra haberent: illi morabantur & ſiſtebant ingreſſuros, ne ſcilicet nimio feſtinandi ſtudio & fervore alius alii noxæ eſſet, & promiſcue irruentes turbas darent: Jam olim enim ſenem quendam cum victima ſua præ nimiis anguſtiis irruentium turbâ eliſum ferunt. Hi vero, qui intus conſiſtebant, egreſſuros, ne alii alios impetu obtererent, ſufflaminabant. Horum

rum

rum quoque munus erat, ipsius aulæ fores occludere, quando arbitrabantur, satis hominum ingressum esse; qui simul victimam immolarent: & quando ad locum, ubi victima illa mactanda erat, perveniebatur, illic sacerdotes in ordines suos descripti rite adstabant, aureis argenteisque pateris instructi: cujus ordinis primus argenteam pateram habebat, talibus ejusdem ordinis reliqui sacra munia obibant. Cujus vero primus auream tenebat, hujus exemplum cæteri secuti itidem aureas habebant, quæ omnia ad pompam & ostentationem ita comparata fuerunt. Princeps ordinis sui sacerdos, pateram mactatæ victimæ sanguine impletam secundo tradebat, qui eam mox tertio, atque ita deinceps alius alii committebat; donec hac prompta opera ad aram usque perferretur. Qui contra ordine primus ab ara consisteret, inanem pateram sibi proxime adstanti reddebat, qui eam deinde proximo, atque ita porro alius alii, donec ad ultimum usque recurreret: adeo, ut quilibet sacerdotum pateram sanguine plenam ad aram properantem, alteram inanem inde redeuntem, una eademque opera acceperit & reddiderit: neque enim pateræ acceptio redditionem; nec redditio acceptionem morabatur: cum plena alterâ manu porrigeretur, inanis redderetur alterâ.

 Atque

Atque id opus tanta dexteritate exercebant ſacerdotes, ut incredibili manuum agilitate, qua valebant omnes plurimum, pateræ volare verius; quam ferri viderentur: perinde ut tela a fortiſſimo milite excuſſa. Triginta perpetuis ante Paſcha diebus, privatis exercitationibus ſacro huic labori prælude-bant, impenſe caventes, ne quid peccarent, per nimiam feſtinationem paterâ manibus elapſâ; aut alio aliquo caſu ſacri hujus operis celeritatem interpellante. Cæterum prope aram duæ craſſæ & altæ columnæ erant poſitæ: quibus duo ſacerdotes inſiſtentes argenteis tubis canebant; quando diſpoſiti ſacerdotum ordines victimarum immolationem auſpicabantur: quo tubarum clangore ſignum dabant ſacerdotibus, qui in ſuggeſtu ſtarent, ut illi Laudate dominum. a Pſal. cxiii: uſque ad cxix. ſuavi & feſta voce, omnibuſque inſtrumentis Muſicis canerent. Illo enim die omnia inſtrumenta Muſica in lucem proferebantur. Ipſe etiam, qui victimam cædebat, ipſum illud Laudate Dominum uſque ad hæc verba: quoniam in ſeculum miſericordia ejus, recitabat. Et ſi nondum mactata eſſet victima: laudes recitando ingeminabant. Mactatione finita, in aulas e-

gre-

grediebantur, quarum parietes ſuſpendendis excoriandiſque victimis, clavis unciſque frequentibus horrebant. Neque deerant fuſtium faſces, occupatis enim omnibus uncis, victimam ex fuſte trajecto ſuſpenſam duo humeris ſuſtinebant, tertius excoriabat, relicta aræ juſta victimæ portione lætus abibat; veluti ſi quis in militiam profectus ab hoſte domum victor rediret. Perpetuo enim ludibrio atque ignominia dignus habebatur: ſi quis Paſchalem victimam præſtituto tempore DEO cædere neglexiſſet. Sacerdotes omnes cum hæc ſacra peragerent rubris veſtibus erant induti, ut ſi quis ſanguis eas forte fœdaret, ejus veſtigia in concolori veſte minus conſpicerentur, veſtibus utebantur brevibus & ſuccinctis, quæ vix ad tibias pertingerent; nudis pedibus inſiſtebant, lacertos manicis ad cubitos uſque tecti, cætera nudi, quo ſacris faciendis aptiores eſſent. Caput tegebant parvo pileo, trium cubitorum faſcia circumvoluto: maximi vero Pontificis pileus quadragies faſcia obvolutus erat, albam eam fuiſſe accepimus. Furni aſſandis victimarum carnibus deputati, in publico ante ædium fores erant; quod eo conſilio factum volunt, ut religionem ſuam publice o-

mnibus testarentur & festi gaudia augerent. Assatam epulabantur victimam, jam supra dictas laudes denuo cantantes, adeo, ut cantantium voce latè omnia implerentur. Urbis portæ per Paschatis festum etiam nocte patebant; quo populus, qui frequentissimus convenerat, liberius commearet. Confirmabant Hebræi, Paschatis quodam festo aliquando, gentem Hebræorum, numero altero tanto majorem convenisse, quam quanta olim ex Ægypto egressa esse dicitur: adeo, ut tantam gentis multitudinem admirati Regni proceres, numerosissimæ gentis numerum initum Regi suo olim exhibuerint

II. Alterum cultus divini genus, maximi Pontificis expiationis die in sanctissimum sacellum ingressus est: Sacrorum rationem, quæ ibi facere solebat, mihi non exposuerunt Hebræi: descripsere tamen mihi pompam atque apparatum, quo sanctissimum Adytum Pontifex maximus est ingressus, atque egressus: quem partim ipse hisce oculis tanta cum admiratione vidi, ut obstupescens in hæc verba erumperem: Magnas DEO gratias merito habeo atque ago, qui hosce sui honoris voluerit esse participes. Septem diebus ante supra dictum illum Expiationis diem, non sine summo honore

no-

nominandum; cæteriſque totius anni diebus præferendum, in maximi Pontificis domo ſellæ apparari ſolebant. Prima Senatus, ſive Synedrii præſidi, altera Principi; Pontifici maximo tertia; quarta Propontifici; quinta Regi. Seorſim vero ponebantur ſeptuaginta argenteæ ſellæ, ſeptuaginta ſenatoribus, qui Synedrium conſtituebant. Tum ſacerdotum ætate graviſſimus aſſurgens, Pontificem maximum ſeria & ſevera oratione ita admonebat: Etiam atque etiam vide, o Pontifex, ad quem ſis ingreſſurus; equidem, niſi mentem atque animum DEO & Religioni intentiſſimum habueris, ſubito velut fulmine percuſſus, exanimis corrues, & expiationem gentis tuæ Hebraïcæ prodes. Ecce totius gentis Iſraëliticæ oculos in te unum conjectos, omnes vitæ tuæ actiones ad unguem explora, & animi tui latebras occultoſque receſſus ſcrutans, diſpice; ne forte alicujus etiam leviſſimi criminis ſis reus. Sunt enim crimina quædam, quæ ſuo ſcelere multorum merita ſuperant: hoc diligenter conſidera, & ad veri examinis trutinam appende: neſcis, rem tibi eſſe cum magno illo DEO, rerum omnium arbitro? Fratrum tuorum, ſacerdotum inquam, vitam & mores cognoſce, eorumque crimina expiare memento. Nec non ob oculos tibi ponas, velim,

te

te aditurum ad Regum Regem pro tribunali ſedentem, qui res humanas divino Numine inviſit, quemque latere nullum ſcelus poteſt. Sed quomodo ingrediaris, cum hoſtem tuum tecum in pectore circumferas? Tum contra Maximus Pontifex: Se jam vitæ ſuæ actiones apud animum ſuum excuſſiſſe, & ſerio pœnituiſſe eorum criminum, quorum conſcius ſibi eſſet. Se etiam fratres ſuos, ſacerdotes dico, in ſacræ ædis aulam convocatos per DEUM immortalem, qui majeſtatem ſuam auguſto hoc loco collocaſſet, adjuraſſe, ut quilibet quorum ipſe meminiſſet, aut alterius, aut etiam ſua crimina ingenuâ profeſſione expiaret. Confeſſis eam anteactæ vitæ emendationem injunxiſſe, quam criminum ratio poſtularet. Deinde Rex mitiori oratione Pontificis maximi animum demulcebat, promittens: ſe, poſtquam incolumis ex ſanctiſſimo Adyto reverſus fuerit, magno honore ipſum mactaturum eſſe. Hinc publice proclamabatur; Pontificem ex Senatu egreſſum, conclave ſuum, quod in ſacra Æde eſſet, jam petere. Quo promulgato, univerſus populus ad deducendum Pontificem alacer concurrit; qui hoc ordine, quem ipſe hiſce oculis vidi, Pontificem præcedebat. Ductabant hanc pompam, regio Iſraëlitarum ſanguine oriundi;

undi; quo quis enim Pontifici maximo propior ibat, eo honoratior eſſe cenſebatur. Poſt hos ibant regia Davidis ſtirpe prognati, qui decentiſſimo ordine ſinguli ſequebantur, præcedente illos præcone, qui hac voce populum monebat: Honorate progeniem Davidis. Deinde incedebat familia Levi, cui alius præco eadem præcinebat: Veneramini familiam Levi. Conſtabat autem dicta Levi familia tricies ſexies mille Levitis, quorum primores hoc tempore extimas veſtes bombycinas hyacinthino colore tinctas geſtabant, ſacerdotes vero candidis bombycinis veſtibus induti, viginti quatuor millia implebant. Hos ordine ſequebantur cantores, quos excipiebant illi, qui inſtrumenta Muſica pulſabant. Hinc tubicines; poſtea janitores: inde ſuffituum apparatores: aulæorum textores: æditui; pharmacopæi: inde ſequebatur certus hominum ordo, qui bibliothecis præfectus earum curam gerebat. Tum artifices, qui ſacrę ædi reficiendæ & ſartæ tectę ſervandæ præerant, alius aliũ ordinem ſequebatur. Poſt hos incedebant ſeptuaginta Senatores, Synedrium vocant, poſtea centum ſacerdotes argenteis ſceptris armati, qui irruentem turbam ſummovebant, quo Pontifici maximo viam facerent ſubſequenti. Pontificem maximum ſacerdotes ętate graviores bini

Ccc longo

longo ordine excipiebant. In primis plateis Academiarum principes doctores ſtabant, dicentes: DEO hominibuſque faventibus abi ſane, o Pontifex; ſed memor noſtri, conditorem & conſervatorem noſtri omnium, DEUM optimum maximum precibus tu ora, ut nobis vitam feliciter prorogare dignetur, quo divinæ illius legi diu invigilare poſſimus. Progreſſi ad portam montis, in quo condita erat ſacra Ædes, ardentiſſimis precibus DEO Davidis familiam, ſacerdotes, ſacramque Ædem conſervandam commendabant. Erat autem vox frequentiſſimæ gentis, qua ſubinde Amen ingeminabant, ita valida, ut vaſto vocis fremitu aves ſuperne volantes conſternatæ deciderent. Precibus rite peractis, Pontifex maximus univerſo populo benigne ſalutato, obortis lacrymis flens & cura inſtantis ſacri anxius, in conclave ſuum ſecedebat, deducentibus duobus ſacerdotum principibus. Atque ita ille fratrum, ſacerdotum inquam, conſortium reliquit. Hæc quidem ante Pontificis in ſanctiſſimum Adytum ingreſſum geſta fuere; cujus egreſſus multo etiam majori pompa celebrabatur: univerſus enim populus, qui Hieroſolymis eſſet, candidis veſtibus indutus egreſſo præibat, maximam partem tædas ex alba cera confectas præferens; Omnium feneſtræ

aulæis

aulæis auro argentoque intertextis, undique ornatæ plurimis facibus relucebant. Narrabant mihi ſacerdotes: Maximum Pontificem raro ante mediam noctem domum rediiſſe, ob denſiſſimas frequentiſſimi populi turbas. Quamvis vero univerſus populus eo die, religionis cauſa cibo abſtineret; nemo tamen domum properare ſolebat, quin primum maximi Pontificis manus deoſculari contigiſſet. Diem proximum Pontifex magno epulo amicis ſuis feſtum celebrabat; lætus ſcilicet, quod ſalvus & incolumis ex ſanctiſſimo Adyto rediiſſet. Hinc aurificem accerſebat, qui auream tabulam conficeret, hæc verba inciſurus: Ego N. N. Pontifex maximus hujus N. N. Pontificis maximi filius, pontificatu functus ſum in magnifica ſanctaque hac Æde ad colendum magnum illum DEUM, qui glorioſam ſuam majeſtatem hac ſede collocatam voluit, anno a mundo condito tali. Faxit DEUS immortalis, qui me dignum cenſuit, quem ſacris ſuis obeundis præficeret, ut digni etiam videri poſſint filii mei, qui mihi defuncto aliquando in hoc auguſto munere ſuccedant. Hæc illa ſunt, quæ vir ille literis conſignata Romam, Verſorius vero Regi Alphonſo tranſmiſit. Qui his lectis, ita acclamavit: Judæi quidem ob ſceleratæ vitæ crimina ſuppli-

cium; ſed ob hujuſcemodi antiquitatis monumenta honorem & amorem merentur. Accepi ego miſer & abjectus Salomo filius Virgæ, a cœtibus Hiſpanis ad corrogandam ſtipem, redimendis in urbe Malaca captivis, miſſus, Chriſtianos ibidem Hebræorum exemplum ſecutos, in regia victimam Paſchalem immolare ſtuduiſſe. Arâ excitatâ, ſacerdotes argenteis vaſis inſtructos ordine omnes adſtitiſſe, atque cantores celeberrimum illum hymnum: Laudate Dominum accinuiſſe. Quo veluti inuſitato ſacrorum genere, populo atque primatibus ſummâ admiratione perculſis, Regem ipſum ita dixiſſe ferunt: generoſæ mortis gloria, quam contemtæ vitæ infamia optatior Judæis eſſe debet; ut qui olim auguſta hæc ſacra coluerint, & turpi jactura per ignaviam & improbitatem poſtea amiſerint. Modum omnemque rationem, quæ ad immolandam Paſchalem victimam pertinerent, admiranda rerum copia deſcripſit Cl: Manuel Brudo in libro, quem de præceptorum ratione compoſuit: quam ego rationem laudavi in eo libro, quem Virgam Furoris inſcripſi. Faxit DEUS optimus maximus, ut mihi videre aliquando contingat fabricam ſanctiſſimæ & glorioſiſſimæ Ædis, Deique noſtri cultum, qualis ille olim florente im-

perio

perio nostro viguisse dicitur, hoc opto, hoc voveo, tu maxime DEUS, fac me hujus voti compotem.

Incidit disputatio inter Alphonsum Lusitaniæ Regem,& Josephum filium Jechiæ. Rex infit: Sapientissime Hebræe, habeo, quæ objiciam legi vestræ, quæ mihi certe haud leve pondus habere videntur: de quibus post festum tecum agere consilium mihi est. Nunc ea, quæ leviora sunt, in medium adferam. Primum quæro ex te, quid causæ sit, quod gentem tuam Hebræam a latrociniis, pravoque vitæ genere sano & pio consilio tuo revocare non studeas: Intelligo enim, vos Hebræos cæterarum gentium esse prædones; id quod arguit splendidus vester vestitus, & superbus mulierum vestrarum ornatus: quod quidem satis mirari nequeo, cum nemo nesciat, rapinas vestris legibus, quam nostris, multo severius vindicari. DEUM præcepisse accepi: ut si quis vestrum domesticum aliquod animal immolare paret, illud primum lavet, deinde immolet: cujus certe in volucribus dispar ratio est. Hæc enim verba sacrum oraculum edicit: Levit. cap. 1. vers 17. Vesiculam gutturis & plumas projicito. Cujus rei hanc causam esse non negabis: Domesticum enim animal non

 rapto;

rapto; ſed domini ſui pabulo vivit. Volucres e contrario ex rapto vivunt: hinc ſacræ literæ earum ingluviem projiciendam eſſe ſanciunt. Quam cauſam, cum olim ex doctoribus veſtris cognoſcerem; rem paulo accuratius indagandam eſſe exiſtimavi; quibus ego tum ſic inſtiti: Quod ſi raptus cauſa projicienda eſt volucris ingluvies, ipſa etiam volucris merito projicienda erit. At reſpondebant illi: Prædam iſtam in carnem volucris mutatam jam in alicujus membri partem eſſe converſam; ſacræ vero literæ prædam reſtituendam eſſe docent: Levit. cap. VI: vers 4. Reddet raptum, quod rapuit. Ipſam prædam adhuc immutatam, & in nullam aliam rem converſam intelligas. Sed ego hæc omitto. At quam longe receſſiſtis ab Auguſti Romanorum Imperatoris edicto, quo ſanxerat ille: Ne quis uxorem poſtquam habere cœpiſſet, bombycinas unquam veſtes geſtaret. Ne mulier biennium viro nupta, muliebri mundo culta incederet: Et ſi quis alteri rem aliquam vi eripuiſſet, ad triennium Româ prohibitus exularet. Sed nolo, ut ad ea, quæ jam objeci, quicquam reſpondeas. Præſagit mihi animus fore, uti propediem cæteras gentes in rapinis & cædibus veſtris bacchantes videatis: cum ſerio quidem; ſed ſero ſcelera veſtra deplorabitis. Nunc venio ad quæ-

ſtiones noſtras, quæ ſic habent:

I. **Prima igitur eſt.** Cum in Servatore noſtro divinas virtutes eſſe videamus; merito dicendum videri, illum aut DEUM, aut DEI partem eſſe. Propria autem DEO virtus eſt; Mortuos ad vitam revocare. Accedit huc, quod mihi quidam ex gente veſtra ad ſacra noſtra tranſiens certius confirmavit: Eſſe vobis Hebræis inter ſolennes precum veſtrarum formulas etiam aliquam; quæ Servatoris noſtri laudes diſertis his verbis clariſſime exprimit: Tu ſemper potens es Domine, mortuis vitam reddens. Tu magnus es ad ſervandum. Verbis iſtis: Tu potens es; patrem ſignavit. Mortuis vitam reddens & quæ ſequuntur: hæc oratio filii laudes celebrat: quem magnum eſſe ad ſervandum dicit: quo nomine ſanctiſſimus vates Eſaias divino ore eum appellat cap. LXIII: vers 1. Ego loquor in juſtitia, magnus eſt ad ſervandum. Ait præterea: Rorem ipſum cœlo demittere, vivos nutrire & mortuos ſuſcitare. Atqui Servator noſter, ut notiſſimum nobis eſt, & ſcriptum legimus, mortuum quendam ſuſcitavit: cum in vaſta ſolitudine cum centum hominibus aquæ penuria laboraret, cœlo pluviam evocavit: & cum panis deficeret; centum hominibus ſingulis ſingulos panes

nes cœlo deductos dedit. Quæ cum ita ſint, vos equidem jure in Servatorem noſtrum credere tenemini. Hîc ſapiens ille: Eſto, clementiſſime Rex, ſervatorem veſtrum mortuum ſuſcitaviſſe: hinc tamen DEUM eſſe minime efficitur: niſi & diviniſſimum vatem Eliam atque Eliſæum, qui mortuos etiam ſuſcitaverint, DEOS eſſe fateamur. Chriſtiani certe, qui tres DEOS credunt, quartum & quintum etiam credere debent: Hoc enim Chriſtianorum argumento, ſi qua fides habenda eſt, vates Eliam atque Eliſæum DEOS fuiſſe oportet. Quod ad pluviam cœlo evocatam attinet: Extant in Thalmude noſtro plurima juſtorum exempla, qui idem feciſſe dicuntur. Addam & rem a Toletanis Hebræis geſtam, cujus loci cives Chriſtiani cum aqua egerent, ab Hebræis petierunt, ut pluviam cœlo evocarent, quam Chriſtianis obſecuti precibus ſuis obtinuerunt. Illud vero memorabile alterius viri exemplum, neque prætermittendum, neque relinquendum eſt: qui, cum operariis ſuis victum ſuppeditaturus eſſet, neque quod ſuppeditare poſſet, quidquam haberet, ficui ſuæ dicebat: o ficus, ficus, fructus tuos profer. Ad quam vocem ſubito fructus edente ficu, famem iis operarii expleverunt. Ad hæc contra Rex ait: Eſto, Servator noſter non fuerit DEUS,
ſaltem

ſaltem divinum vatem fuiſſe credatis neceſſe eſt. Idque prodigiorum, quæ plurima & maxima edidit, indubitata fide. Reſpondit ſapiens: Moſes olim quamvis complura miranda patraret Hebræis, nullam tamen prius apud ſuos fidem invenit, quam diviſis maris undis ſiccos vado traduceret, & inſtantis Pharaonis hoſtis faucibus ereptos ſervaret. Adſit ſervator veſter, nos ab hoſtibus noſtris ſciſſo mari vindicet, fidem illi lubentes certe habebimus. Rex inquit: Servator noſter, quem vos Judæi tam aſpero ſupplicio mactaſtis, quodſi in hunc mundum reverſus fuerit; vobis certe non liberandis; ſed ſuffocandis mare ſcindet. Supereſt, ut nunc expedias, o ſapiens, quid ad ea, quæ de precibus tibi objeci, reſpondere habeas. Ad quæ ſapiens: Equidem ſupervacaneum eſſe videtur, hic aliquid de precibus addere: quæ certe niſi de DEO, de alio loquuntur nemine. Quod vero attinet ad interpretationem perditi illius Hebræi, qui ad Chriſtiana ſacra tranſfugit, illa quidem, quam patris virtutem, filii majorem eſſe dicit: filium enim rorem cœlo demittere, vivos alere, patrem vero ſolum mortuos ſuſcitare tradit. Deinde nos certe non adeo ineptimus, ut preces religioni noſtræ contrarias dicamus. Laudatas enim modo preces: Tu potens es ſem-

per Domine, ſuſcitans mortuos: magnus es ad ſervandum: rorem cœlo demittis: vivos nutris, & mortuos ſuſcitas, & quæ ſequuntur: Has preces, inquam, effudit Iſacus, cum jamjam in ara immolandus, divino quodam prodigio inſtantis mortis periculo ereptus eſſet. Superiores preces: Benedictus ſit Dominus DEUS noſter: aſcribuntur Abrahamo. Tertiæ: Tu ſanctus es, Jacobo attribuuntur. Prout ex Eſaiæ cap. xxix: vers 23. liquet. Et ſanctificabunt ſanctum Jacobi. Superſunt denique preces mediæ, quæ Iſaco arrogantur.

II. Altera ſequitur quæſtio: Quo certo argumento probabis, legem tuam eſſe perpetuam, neque illâ ſemel latâ, aliam novam unquam ferendam eſſe?

Reſpondet ſapiens: Hoc quidem, quod tu interrogas, o Rex; hac de cauſa fieri nequit. Dicendum enim eſt: Ad animæ ſalutem & perfectionem plus conferre, & proinde perfectiorem eſſe, aut legem primam; aut ſecundam: aut parem eſſe utramque. Quodſi primam perfectiorem eſſe dicamus; quæri porro hoc poteſt: Quid cauſæ eſt, quod DEUS reliquis gentibus inutile onus mutilæ atque imperfectæ legis injunxerit? Si vero ſecundam primâ perfectiorem eſſe contendamus; certe gentes ſub

ſub prima lege viventes ſub inutili jugo vixiſſe fateamur, neceſſe eſt. Si autem utramque parem, perfectam & veram eſſe ſtatuamus; alterutram ſupervacuam eſſe oportet. Quibus ſapientis verbis Rex ita occurrit: Dicamus nos utramque legem eſſe parem; ſed DEUM pro temporis hominumque ratione in ea nonnulla immutare debuiſſe. Verbi gratia: Si DEUS in noſtra lege frontalia & tabernaculum nobis præſcripſiſſet: utique inutilia nobis præcepta dediſſet: quia in Ægyptum nunquam venimus. Hinc nobis pro iis alia mandata dedit. Sapiens contra dixit: Quod ſi rem ita eſſe exiſtimas, o Rex; certe cætera præcepta, quæ cum iis, quæ Hebræis in Ægypto evenerunt, nihil commune habent, vobis obſervanda erunt; atque illorum loco, quæ pro ratione eorum, quæ paſſi in Ægypto Judæi ſunt, lata fuerunt; alia ſunt vobis injungenda. Atqui vos contra dicitis: Univerſam ſcilicet legem noſtram, ut inutilem abrogatam eſſe. Præterea medicina animæ, quæ ſunt bonæ leges, perinde ſe habet, ut medicina corporis. Jam vero quemadmodum corporis remedia non mutantur; ſic neque animæ remedia mutanda erunt. Rex inquit: ſi priorem tuam ſententiam veram eſſe conceſſero; altera certe falſa erit. Quod vero corporis remedia

non mutantur, ex eo eſt; quia in iis varia ſalutiferarum herbarum genera miſceantur, quæ ingenita quadam virtute eandem vim in ſimilibus morbis ſanandis exerere ſoleant. Unde in iiſdem morbis perpetuus & conſtans earum eſt uſus: quanquam interdum & contra fit, velut cum calidum, quod obſtructa aperit; & frigidum, quod aperta obſtruit, contrarias quandoque virtutes exercent. Sed legum, quas animæ medicinas eſſe diximus, planè diſpar ratio eſt, ut quæ in iis verſentur, quæ ex voluntate dependent: hæc cum mutabilis ſit, pro ratione mutatæ voluntatis, mutanda quoque legum conditio eſt.

III. Tertia quæſtio eſt: Utrum hominis Chriſtiani preces, æque ac Judæi a Deo audiantur, nec ne?

Audiuntur vero, inquit ſapiens; Oraculo enim edita ſententia eſt: Tu audis preces omnis oris 1. Reg. cap. VIII: vers 41: Quinetiam alienigenæ, qui non eſt Hebræus. Rex inquit: Non ſentis equidem miſer; quam tuo te ipſum jugules gladio. Veſtrum enim Thalmud jubet vos maxima cœli ſiccitate ad ſepulchra prodire, & preces fundere. In quo loco diſertim additur: Non ad ſepulchra Chriſtianorum prodeundum eſſe. Illos enim, cum ſe ipſos ſervare non potuerint, alios ſervare quoque non poſſe.

posse. Sapiens ait: Absit hoc, o Rex; Vera enim ratio hæc est: Christiani male nos oderunt, quomodo igitur hostes nobis Dei fidem implorent? Tum Rex Thalmude afferri jusso, verba illa, quæ recitaverat, in commentariis magistri Salomonis Isacidæ invenit; quibus non parum est irritatus. Sapiens eorum asperitatem nonnihil facundia & verborum lenociniis mitigare studens, dicebat: Ista de pluviis intelligenda esse, in quibus Hebræi peculiare aliquid viderentur habere, testibus sacris literis. Levit. cap. XXVI. versu 4 Dabo pluvias vestras suo tempore. Ad quæ Rex Hebræo hunc in modum respondebat: Ubi semel mentiri occœperis, strenuè deinceps mentiendum est; & mendacium mendacio tegendum, ne perpluat.

IV. Quarta quæstio: Sacræ literæ, o sapiens, contrariis sententiis sibi ipsis interdum adversari videntur. Ecce uno loco dicitur: Job. cap. XXV. versu. 3. Num est numerus exercituum ejus? Alibi vero Dan: cap. VII: versu. 10. Millies mille ministrabant ei. Ex quo sane liquet, quem illic numerum esse negaverat, hic numerum esse dicere. Tradunt enim magistri vestri, Angelos, postquam Hebræi patriis sedibus ejecti fuerunt, numero diminutos fuisse.

O insipientes sapientes! qui æternos illos spiritus, incorruptibiles, immutabiles, & undiquaque perfectos mutari, corrumpi & numero imminui posse credunt. Num verisimile esse videatur, spiritus illos æthereos imminui posse? Imprimis si quis consideraverit, universum terrarum orbem perinde se habere ad sanctissimos Angelos, uti sinapis granum ad vastissimum mare, quo igitur nomine conferri illis Hebræi poterunt? Dicere enim Angelorum numerum imminutum esse, propter abreptos in servitutem Hebræos, id vero non minus insanum, quam ridiculum esse videtur: & perinde est profecto, ac si tu dicas: Regis alicujus duces militiæ dolore animi contabuisse, quia forte pulex aliquis captus, abductusque in servitutem est. Respondet Judæus: cum Angeli numero suo defecisse dicuntur, illud nequaquam ita accipiendum est, ac si Angeli veré & reapse numero decreverint: sed nobis Hebræis ob imminuti intellectus nostri vitium defecisse videntur: Nos enim olim antequam aris focisque nostris careremus, magna & incredibili rerum scientia & prudentia pollebamus: sed longis atq; perpetuis errorum malis sapientum nostrorum sapientia, & prudentum prudentia fatigata defecit. Neque mentis nostræ angustia res augustissimas capimus,

pimus, & exiguis ingenii terminis circumscripti levia tantum animi ratione comprehendimus. Ad hæc Rex: Tu equidem o sapiens, erudita & cordata tua responsione insignem mihi laudem meruisse videris.

V. Quinta quæstio: Cum hariolari & incantare res sint vanæ & aniles, quibus nihil certi, aut solidi subest, quare lex vestra Mosaica ad supplicium rapi jubet eos, qui hisce anilibus nugis dediti, nihil solidi unquam consequuntur, nec certi quidquam in vano hoc studio cognoscunt?

R. Illi, qui se hariolationi & incantationi sacrant, res vanas asserere & defendere student. Atque his frivolis & inanibus mali genii artibus irretiti DEUM suum deserunt, & infelicibus næniis bona tempora male perdunt: quamobrem merito ac jure dignum gravissimo crimine merentur supplicium.

Ex literis Fessâ Africæ urbe missis intellexi: Multos Hebræorum, qui ex Hispania ejecti fuere, cum mala ingentia ultra ferre non possent, quibus in itinere, dum in exilium properant, jactabantur, partim in Hispaniam reversos, partim vero in obviis pagis consedisse. Inter illos, qui in Fessæ regnum evaserunt, repertæ sunt ducentæ viduæ, par-

tim

tim ex numero illarum, quarum maritos, nulla prole relicta, certo obiisse constabat; quorum fratribus nubere lege tenebantur: qui cum nusquam invenirentur, ipsæ novis nuptiis miseré frustratæ fuerunt. Partim vero ex illis, quarum mariti desiderabantur; sed an certo periissent, parum compertum erat: atque sic per legem aliis nubere prohibebantur. Hæ omnes animis opibusque concordes ad urbem Saleam contenderunt; ubi magnis ædibus constructis una habitarunt, sedula manuum opera quæstum facientes: quem omnem, excepto pauxillo, quod vitæ parcè sustentandæ satis esset, alendis studiosis suppeditabant. Illustre raræ pietatis exemplum in justissimis viduis, omnis æternitatis tabulis merito inscribendum. Haud alienum mihi videbatur Josepho, memorare hic res novissimè memoriâ nostrâ Cairi in maxima Ægypti urbe & Masiæ gestas: Sed invidiosum nimis credidi, rem totam, ut gesta est, à principio ad finem uberius exponere, imprimis rem Masiæ gestam, periculum enim est, ne & aliæ gentes, præter Hebræos, hæc ita nobis perscripta aliquando legant, & nos fortè aliorum exitio gaudere temere & credant & dicant. Proinde rem omnibus notam succinctè & obiter

modo

modo perſtringamus. Conjurati contra Hebræos Armenii ajebant, Chriſtianum aliquem cujuſdam Hebræi ædes ingredi viſum, nec viſum egredi poſtea fuiſſe: haud dubie ab illo, dolo interceptum. Hæc non abſimilis illis eſt fraus, quas in hoc opere venerandus meus Pater Salomo filius Virgæ ſupra memoravit. Hinc innoxii & immerentes Hebræi quæſtione habita exquiſitiſſimis tormentorum cruciatibus victi, Chriſtiani hominis cædem feciſſe fatentur: faſſi in crucem aguntur. Celeberrimus vero medicus Jacobus Abiob, ſapientiſſimi & integerrimi viri Joſephi Abiob filius, rogo vivus exuritur. Diebus aliquot interjectis, in urbem redit Chriſtianus ille, quem ab Hebræo occiſum ficto crimine falſi teſtes probaverant. Qui agnitus univerſis, & continuo ad judicem deductus ſalute ſua ſceleratiſſimam malignæ gentis fraudem retexit. Quo cognito, edixit Rex Solimannus, ut Armenios tanti facinoris reos comprehenderent, & ſcelere dignas pœnas ab iis exigerent. Tum temporis ſolus virorum clariſſimus Moſes Hamon pro gente ſua Hebræa capitis periculum ſubire non detrectavit. In regia univerſis gentis Hebraïcæ inimicis animoſè ſolus reſtitit, eamque

ſuo beneficio inſignibus privilegiis ornavit: adeo, ut in poſterum provinciarum præfecti & judices ſimiles conjurationes, quibus nos Chriſtianorum ſanguinem azymis miſcere fingunt, neque audire, neque ſuo more decidere poſſint: Sed hujuſmodi controverſias ad regiam deferre jubeantur. Similis Maſianæ conjuratio Toketi facta eſt; ſed palam deprehenſa atque patefacta fuit, quæ etiam unica ſpes nobis miſeris Judæis eſt; ut detecta fraude, improba inimicorum conſilia fœde eveniant: quemadmodum Eſaias cap. LIV. v. 17. ait: Omnem linguam, quæ ſurget contra te, in judicium condemnabis. Ægyptii de gentis Hebraïcæ malis librum compoſuerunt, unde hæc pauca breviter excerpſimus, neque enim univerſa typis vulgare, res & opes meæ ſinant. Invictiſſimus Turcarum Imperator Solimannus, qui imperium ſuum per Aſiam minorem, Thraciam, Græciam, Scythiam, Ruſſiam, Palæſtinam, Edomæam, Arabum Reges in deſerto Sinai agentes, Ægyptios, Libyes, Æthiopes, uſque ad Auſtri fines protulit: anno regni ſui primo, magnum pietatis officium præſtitit, dum mercatoribus infinitam auri argentique vim, qua ipſos pater ipſius Selimus mulctaverat, reſtituit. Anno ſecundo exercitum Tauruno (nunc Belgradum vocant,)

cant,) admovit; illudque expugnavit. Sub hujus anni finem Rhodum petiit & obsessam cepit. Hic summa virtus proregis Achmedis enituit: cujus spectatissimæ fortitudini Rex præmia redditurus, eum toti Ægypto præfecit. Achmedes anno Regis Solimanni tertio, regiis insignibus ornatus in Ægyptum venit, quam auri sacra fame stimulatus immanibus tributis & vectigalibus attrivit. Tandem a Rege suo deficiens tres Regis sui primates interfecit, cæteris in urbis arcem confugientibus, quam mercede conducta improborum manu triduo expugnavit, centum ex iis, qui in arcem evaserant, interfectis. Hoc tumultu rabie accensus miles, Judæorum domos atque fortunas diripit; quo viso, Achmedes per consiliarium quendam, cui Mani nomen erat, admonitus, Judæos divitiis abundare: justiusque videri, ipsum, quam prædonem militem, tam opima ex iis præda frui; continuo prædones cruci suffigi jubet. Circa vesperam quinque Hebræi Cairo egressi, cum in milites Circassos incidissent, ab illis trucidantur. Cujus cædis fama Cairum perlata magnam Judæis trepidationem attulit. Tertio die Achmedes, collecto Circassorum exercitu, provinciæque judicibus convocatis, postulat; ut se Regem crearent. Qui Rex renunciatus novi Regni

 sui

ſui imperium confirmare cœpit. Conſtituit itaq; alium Achmedem ſibi proregem, qui quicquid auri in Ægypto eſſet, cogendum, graviuſq; vectigal mercatoribus imponendum ſuadebat. Anno 5284, menſe Februario, accerſi jubet duodecim Hebræos, gentis ſuæ facile principes, quos prorex hunc in modum affatur: Ite & nunciate genti veſtræ; ſi illi ſalus ſua cordi eſt; huic edicto meo obtemperet: ducenta argenti talenta in regium ærarium conferat. Quo triſti edicto vehementer conturbati fuerunt Hebræi: atq; celebre ipſorum feſtum, quod ipſi Purim appellant, quo celebrare ſolent felicitatem majorum, qui hoc tempore ſceleratis impii Hamonis inſidiis erepti ſunt, in triſtiſſimun luctum verſum fuit. Hebræorum enim principes in vincula conjecti, in ſqualore & ſitu miſerrime agebant. Judæi decimo quinto Calendas Martias, magno tumultu regem rebellem adeunt; petituri, ut conſtitutus exolvendæ mulctæ dies ſibi proferretur: quo imperatum argentum certius conficere poſſent. Quibus Rex ferociter reſpondit: Hem ſegnitiem! etiam ceſſatis miſeri & moras nectitis? quos ita me DEUS bene amet; ad unum fruſtillatim concidere mihi certum eſt Hebræi hoc malo reſponſo perculſi, ſupplicationem decernunt. Conductis itaq; liberis & infantibus inauditum atq; miſerabilem ululatũ atq; plan-

planctum edunt: quorum quidem planctus, Deo auditus fuisse videtur. Cum enim Judæi, qui solvendæ mulctæ non erant, quindecim tantum argenti talenta in regiam ferrent, illos, quod imperium detrectasse viderentur, scriba Sadus comprensos, & in carcerem raptos, regi Achmedi a balneis redituro necandos servabat. Sed ecce, quam mutabiles sunt rerum humanarum vices! nuncius affertur Sado; conjurasse contra regem principem Muhammedem, qui cum servis suis, rege Achmede in balneis versante, fores effringere tentaverit: quod cum Rex sentiret, posticâ elapsus in arcem aufugit. Suis vero rebus diffisus, cum decem viris & paucis ex Circassorum exercitu militibus, inde profugiens ad montis radices totam noctem consedit. Princeps Muhammedes, postquam Judæos vinculis exemisset, assumta trium Circassorum millium manu, Regem Achmedem persequitur, quem trium dierum itinere assecutus capit: pridie Calendas Martias capite truncat, illud stipiti præfixum omnibus spectandum proponit: & rebus ita feliciter gestis, magna cum gloria Cairum revertitur. Hic Judæi denuo quasi reviviscere, & novam seriò triumphandi materiem habere videbantur. Proinde sibi, & posteris suis hanc legem indixere: ut pridie Calendas Martias epulum instituant: & gaudium

atque lætitiam agitando, triſtiſſimam quondam hujus diei memoriam feliciter ſolentur: quem ipſum etiam diem, diem Neſſim appellant; quæ vox gemino ſignificatu pollens miraculum, quod ſibi hoc die feliciter factum interpretantur, & palum, cui Achmedis caput affixum eſt, ſignificat. Faxit DEUS, ut omnes hoſtes ipſius ſimili infortunio mactentur.

Ita Joſephus graves quoque afflictionum calamitates expertus, inquit: Poſtquam hoc opuſculum typis jam excuſum erat, incidi forte in hiſtoriam rerum a Chriſtianorum Regibus geſtarum; quam ſapientiſſimus atque optimus vir Schem Tob conſcripſit: qui autor eſt, nonnulla etiam per ea tempora majores noſtros paſſos eſſe, quæ inde petita paucis huc tranſcripſi; præſertim ea, quæ poſteritatis memoria haud indigna videbantur. Aliam etiam hiſtoriam in quodam Chriſtianorum libro inventam in Hebræum verti. Equidem ego ſic exiſtimo, ea, quæ bonos mores, & vitæ civilis diſciplinam ſpectant, immortalibus tabulis merito conſignanda eſſe.

Anno ter milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo occuparunt Muhammedani Ptolemaidem, Tiberiadem & bonam Palæſtinæ partem, ſemeſtri tem-

temporis ſpatio. Quo tempore Chriſtiani undique ex omnibus mundi partibus exciti, ad urbem Ptolemaidem contenderunt, longâ & arduâ obſidione cingendam. Verum enimvero Saladinus Muhammedanorum Rex, innumerabili exercitu contracto, Chriſtianorum caſtra per plurimos dies circumſedit: tandem vero Muhammedani totam Palæſtinam armis perdomitam ſibi ſubjecerunt.

Anno quinquies milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo expugnavit Almanſor filius Saladini Hieroſolyma, ubi quatriduum moratus, numeroſam gentem in captivitatem abducit.

Anno centeſimo vigeſimo octavo, proditæ fuerunt Patræ, quarum præfecto obtruncato, Judæorum conciliabulum in ſervitutem abripitur.

Anno centeſimo triceſimo, eo tempore, quo textus hic: Et hæc ſunt Judicia &c. Inter nos recitari ex more ſolet. Patrarum proditores omnes cruci ſuffixi ſunt. Eodem anno fatis conceſſerunt vir doctiſſimus Meſullamus,& Jacobus Prophia inſigni liberalitate extra ordinem dicendus.

Anno centeſimo trigeſimo ſecundo comprehendit plagiarius ille Eliezer M: Abrahamum Davidis filium. Eodem quoque anno hic princeps comprehenſus eſt, qui Carcaſonam ad eundem illum magiſtrum,

giſtrum, vindice DEO, in ſervitutem abductus eſt.

Anno centeſimo trigeſimo nono convocavit Pontifex maximus univerſos præſules & monachos ſuos ex Galliis atque Hiſpaniis: quo ipſo omnes Judæorum conventus apprime conturbati, ad triduum indicta ſupplicatione, DEI fidem implorant, qui ſane fidem implorantibus præſtitit. Compertum enim eſt, Pontificem cum ſuis contra Hebræos nihil mali molitum eſſe.

Anno centeſimo quadrageſimo ſexto inter mortales eſſe deſiit vir ſummus M:Zarachias.

Anno centeſimo quinquageſimo ſecundo, ſubmerſa fuit magna quædam navis cum plurimis ſapientibus Hebræis: faxit DEUS, ut reſurrectionis die beati reſurgant.

Anno centeſimo quinquageſimo quinto, diem ſuum obiit Granatenſis præfectus; tum, mutato rerum ſtatu, plurimi ex Lakirenſi conciliabulo interfecti ſunt.

Anno centeſimo quinquageſimo ſeptimo, venit in Hiſpaniam Muhammedanorum Rex Almanſor, qui Caſtellam deprædatus, Caltibam atque alias magnas urbes ſibi ſubjecit. Toletanum tractum evertit, cui Hebræi occurrentes prælio com-

miſſo

misso plurimos ex hoste concidunt: quo ipso prælio quidam ex præcipuis, Eli scilicet filius, cecidit.

Anno centesimo quinquagesimo octavo, urbis Toletanæ præfectus Hebræorum cœtum diripit, qui domibus granariisque excussis, opima præda potitur.

Anno centesimo quinquagesimo nono, reversus est Angliæ Rex in patriam suam, postquam maritimam Palæstinæ urbem, Ptolemaidem expugnasset. Tum temporis Arabum Rex Almansor diem suum obiit. Eodem quoque anno magnum illud ævi nostri lumen, Abrahamus filius Davidis die Veneris fato extinctus est; cujus cadaver ipsi sacerdotes honoris causa terrâ condiderunt.

Anno centesimo sexagesimo quinto; Ecronenses contra Sastronenses insurgentes octoginta Judæos interficiunt.

Anno centesimo sexagesimo quinto: Illo Sabbathi die, quem Christi natalis excipit, Romæ rediit Arragoniæ Rex; Hebræi metuentes, ne Regis reditus mali sibi aliquid afferret, prolato sacræ legis libro, supplicationem instituunt. Mox meliora tempora videre cœperunt,

perinde ac si cuipiam post nubila Phœbus appareat.

Eodem anno vir honoratissimus Moses Meimonides Cairi mortalitatem explevit, cujus ædes vigesimo quinto, ultimo mensis die, ingressi Judæi Cairi cives; perpetuum triduum mortem ejus planxerunt. Memorabilis hic tanti viri funere annus voce נהיה, quæ Hebræis planctum sonat, congesto, quem literæ signant, numero notatur. Septimo demum die obitus illius fama Alexandriam perlata; postridie, qui Jovis dies erat, ingenti luctu atque inedia impotentissimo mortui desiderio sese macerant; prælector etiam locum illum Levit. cap. XXVI. a commate secundo: Si in statutis meis ambulaveritis: usque ad caput XXVII, recitabat. Lector alius, qui precibus finitis, orationeque habita, omnium postremus legere, Judæosque ex conciliabulo dimittere solet, recitabat a primo lib: Sam. cap. iv. vers 1. Et fuit verbum Samuelis; usque ad hujus sententiæ finem: Translata est gloria ex Israële, quia capta est arca Dei. Biduo post cadaver ipsius in Palæstinam deferri cœpit: in itinere latrones Judæos, qui funus deducebant, ferociter invadunt, qui correptum cadaver in mare projecturi, dum illud, supra quam dici potest, immani pondere grave, licet triginta nu-

numero viri totis viribus connixi, loco movere non possunt, scelerato consilio supersedere coguntur. Obstupentes igitur latrones novo immoti cadaveris portento, virum aliquem divinum esse rati, metu profugos Judæos revocant, & cadaver ipsius in Palæstinam deportandum illis adjutant, illudque non procul a majorum nostrorum sepulchris terræ mandant: hæc idoneis autoribus accepimus.

Anno centesimo sexagesimo nono, gravi bello pessimorum civium scelere per Gallias concitato, die decimo nono mensis Julij adeo cruento prælio dimicatum est, ut viginti Christianorum millia in acie ceciderint, quo tempore ducenti Judæi quoque interfecti, complures in servitutem abrepti fuere.

Anno centesimo septuagesimo e vita discessit M: Aron filius Mesullemi.

Anno centesimo septuagesimo primo DEUS doctoribus nostris, qui in Gallia & adversa illi Anglia habitabant, hanc mentem immisit, ut Hierosolyma peterent; trecenti numero, aut plus eo erant, quos Rex Hierosolymitanus magno honore advenientes excepit. Iidem illi Hierosolymis conciliabula & Gymnasia construxerunt; quorum exemplum secutus maximus noster Pontifex M: Jonathan Hierosolyma

quoque proficiſcitur. Per hoſce viros ibidem editum prodigium eſt, magna cœli ſiccitate, cum ingens aquarum penuria eſſet, improbis precibus pluviam a DEO optimo maximo flagitarunt, & impetrarunt. Quo ſane portento omnipotens ſummi Numinis majeſtas omnium ore jure ac merito celebrata eſt.

Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo menſe Septembri, Saraceni Salvaterram occuparunt, unde, qui illic de gente noſtra fuerunt, fuga dilapſi, pridie magnum expiationis diem Tolitelam perveniunt: Eodem anno copiæ Emiri Saraceni in Chriſtianorum terras irruptionem faciunt: Chriſtianorum vero Reges, junctis viribus, acri prælio Saracenicum exercitum fundunt. Qua tempeſtate maximis ſane malis noſtra Hebræorum gens jactata fuit.

Anno centeſimo ſeptuageſimo quinto menſe Februario, omnes Præſules numero quaſi ducenti, regnique proceres in monte Gaas ad purpuratum Patrem Archiepiſcopum Toletanum conveniunt: Interfuit illis princeps noſter Clariſſ: Iſacus Benveniſta cum multis aliis Judæis, binis ſcilicet ex ſingulis conciliabulis delectis.

Hoc ipſo anno menſe Majo Galliæ Rex Ludovicus Burdigalam veniens, muros ejus dirui jubet: qua

qua tempeſtate conciliabulum noſtrum in magno verſabatur periculo, quô illos liberavit Comitis Monfortii, illiuſque fratris fides, qua ſe ſervaturos Judæos pollicebantur.

Eodem anno juſſu Principis Iſaci Benveniſtæ, omnes Judæorum proceres a Gallia Narbonenſi uſque ad urbem Maſſiliam convocantur in ſuburbium Gaulæ ad Principem Levi, ut inter ſe de viris Romam mittendis deliberent, qui in præſulum conventu Maximi Pontificis conſiliis obſiſtant.

Anno centeſimo ſeptuageſimo ſexto, improba illius regni gens genti noſtræ imperat Hebrææ, ut quicunque duodecimum ætatis annum exceſſerint, aliqua nota per publicum inſignes incedant. Viri teſſeram in pileo, feminæ vero in peplis geſtare jubentur. Aliud præterea onus miſeris imponit; ſiinguli cives quotannis Paſchatis feſto urbis ſuæ curioni monacho ſeptenos ſolidos pendere coguntur. Sed maximus Pontifex eodem anno, quo gentem noſtram iniqua hac ſententia vexare cœpit, repentina morte extinguitur.

Anno centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, uxor Comitis Monfortii Judæos, quotquot Toloſæ erant, una cum uxoribus liberiſque comprehenſis neceſſitatem tem ſuſcipiendi Chriſtiana ſacra imponit, id eſt,

vel legem Mosaïcam deserere, vel animam relinquere jubet. Hinc viros ab uxoribus abstractos, carceri seorsim includit, infantes vero, quotquot sextum ætatis annum nondum impleverant, sacra lotione Christianæ religioni initiandos sacerdotibus invitos tradit. Incredibile dictu est, quis infantium clamor ploratusque extiterit, miserabili voce parentum fidem nequidquam implorantium, nihilominus tamen illicitis eorum cibis constanter abstinebant. Quinquaginta septem viri à Mosaïcis sacris desciverunt, cæteris pro religione sua fortiter occumbentibus. Calendis Augustis affertur Comitis Monfortii mandatum, quo, qui adhuc in vinculis erant, liberantur Judæi; quibus præterea erepta omnia restitui jubentur, præter solos infantes, jam Christianorum sacris initiatos; quemadmodum præscripserat Antistes, cujus quidem sententia sancta & rata habebatur. Eodem anno Antistes ille præcipit, ut Judæi nota aliqua insignes incedant, orbem in summa veste gestantes; sed ista ipsa Antistitis lex haud multo post abrogatur.

Anno centesimo septuagesimo nono, mala quædam consilia contra gentem nostram moliti sunt Andegavensis regionis, item Pictaviæ & Britanniæ

niæ incolæ, gentique nostræ pulcherrimum suum decus, Mosaïca sacra inquam; sed frustra eripere studuerunt: in lege enim divina constantissimé perseverando universi conditorem & rectorem DEUM religiosissimé celebrarunt. Haç tanta Judæorum constantia irritati Christiani, tria amplius Judæorum millia obtruncant. Quâ clade, veluti fulmine percussi, alii liberos suos interficiunt; alii sibi ipsis mortem consciscunt: dum suo, quam alieno arbitrio, mori malunt. His tamen rerum angustiis plures quingentis ad Christianos defecerunt. Sed hæc merito patimur mala, qui quotidianis vitæ criminibus DEUM gravissimé offendimus. Horum nobis caput & causa malorum fuit Judæus quispiam gente Palæstinus, qui cum ad Christianos defecisset, cæteros quoque perdere conabatur Judæos. Ingressus igitur conciliabula alta imperiosaque voce proclamat: Legem suam vel inviti mutarent. Sed cum ista oratione nihil moverentur Judæi, aliam eos divexandi viam ingreditur: Pontificem Maximum concitat, ut novas contra Judæos condat leges: quæ vix scriptæ etiam promulgantur. Jubentur Judæi, rubro aut croceo pileo incedere notabiles, qui contra faxit morte mulctandum esse. Hujusce rei novitate Ju-

dæorum

dæorum proceres impulsi, ut de mittendis ad Regem legatis inter se deliberarent. Mittunt igitur præclarissimum virum Mordochajum filium Josephi Avenionensem, & Salomonem Dasilum Tarasconensem, qui ad Regem profecti, de abroganda illa lege apud eum fortiter verba faciunt, pileos rejiciendos esse feliciter obtinent. Quâ victoriâ læti in patriam redeunt. Haud ita multo post sacri censores gentem nostram exagitant, malis enim artibus dolisque instructi, totam in Galliis Provinciam sacræ suæ censuræ subjiciunt: & cujusque religionis & conscientiæ arcana, sensusque latentes curiosissime rimantes, immensam auri vim miseris extorquent. Tum plerique Judæorum principes, qui Massiliæ, Aquis Sextiis & Avenione degebant, legi, quæ denuo ferebatur, se submittunt: & notâ quâdam insigniti, ut lex jubebat, incedunt: nusquam tamen magis, quam Avenione sacra censura sævitum est: ubi duos præclarissimos viros Mordochajum filium Josephi & Israëlem, censoriæ isti legi adversantes, ædibus suis includunt, illi domestici carceris tædio fracti, eam quoque tandem admittunt; & nota incedunt insignes: qui tamen aliquanto post grandi mulcta persoluta liberantur, cum multi alii notam istam ser-

vare

vare cogerentur. Nota iſta ex coactili panno crocei coloris ſpithamæ latitudine conſtabat, in qua circulus erat latus palmum, cujus orbem Lunæ imago nigro panno obſcurata implebat; perinde ac Luna intercepto Solis lumine deficiens obſcurari ſolet. Grande etiam crimen genti noſtræ affinxerunt in hac lacrymarum valle Chriſtiani, in funeſta & exitiali nobis urbe Loiros. Mulier quædam Chriſtiana palude ſuffocata perierat, cum vero calamitas iſta clam ſine teſtibus eveniſſet; in Judæos necis illius culpam contulerunt: hinc pleroſque per Provinciam Judæos in vincula conjectos graviſſimis malis affli&ctant; mox ad ſupplicium rapiunt, jubente ita, ſcelerum noſtrorum vindice, Deo. Anno, quo Galliarum Rex ex Turcica captivitate in patriam eſt reverſus, omnes Judæos regno ſuo expulit.

Anno quinquies milleſimo, Hiſpani inſano quodam conſilio concitantur: Inſurgunt enim aliquot paſtorum millia, qui pernicioſo ſibi ipſis conſilio rem viribus majorem auſi, totius gentis noſtræ exitium machinabantur; præcipuo duce Roario, qui tumultuum autor omnes in Judæorum perniciem acriter concitabat: Hinc graſſante paſtorum rabie, plurimos ex gente noſtra fœde trucidant. Crudelem quoq; legem

contra Judæos in urbe Bonialis ferunt. Eodem anno diris fatis concutitur sacrum illud conciliabulum, quod in urbe Lasmaria fuit. Hujus enim loci cives, collectâ improborum manu, Judæos aggressi, una cum mulieribus liberisque die festo fœde obtruncant. In Provincia Christiani omnes Judæorum ædes eadem tempestate excutiunt, ereptisque scriniorum clavibus, maximam auri vim pro animi libidine iis extorquent.

Alphonsus Hispaniarum Rex, anno tertio, ex quo regnare cœperat, somnium forte visum purpuratis, proregi suo Petro, atque sapientissimo viro Thomæ enarraturus, eos ad se accersi jubet. Qui cum convenissent, Rex hunc in modum infit: Mihi visus sum in somnis ruri consistere & pascere oves, ex adverso vero luporum caterva coörta ita me compellat: Heus pastor, hæ tuæ oves maximam longe nobis fecêre injuriam, quam tu si ultus fueris, & dignas ipsarum scelere pœnas exegeris, ipsi quidem lubentes bello abstinebimus. Quodsi facere neges; hoc tibi pro certo habe, nos oves illas penitus perdituros esse. Quibus ego contra dixi: Vos in latebras vestras & lustra redite, o lupi, ipse ego ovium mearum severissimus censor, ita eas tractabo, ut ne vestigium quidem illarum supersit. Tum convocatis

tis paſtoribus,quid fieri placeret,rogare mihi videbar. Conſentiebant univerſi,gregem jure evertendum eſſe. Hæc dum aguntur, ecce catulus leoninus ex leonum antris progreſſus, gregem argumentis acriter propugnat, quæ quidem argumenta mihi in ſomnis audita, penitus exciderunt: Leunculus gregem illo beneficio ab imminenti periculo liberavit.Interjectis aliquot diebus vidi denuo lupos iſtos, animalia quædam ovibus haud diſſimilia diſcerpere,& in præcelſum montem refugere. Agite vero, o purpurati mei, voſque fidiſſimi aulæ meæ miniſtri,indicate mihi ſomnii hujus mentem. Tum purpurati univerſi paucis defungentes,ita reſpondent: Somnia interpretari,o Rex,non eſt noſtrum, nec quiſquam ex nobis ſimilis unquam ſomnii exemplo edoctus, veram hujus ſomnii mentem indicare poterit, niſi ſerus quidem; ſed rerum tamen certiſſimus magiſter tempus: Ad hæc vero Thomas inquit: Non certè hæc ſapientia eſt, quæ ſomnia tempori ſtultorum magiſtro remittenda dicit; ſed ea demum vera & exquiſita rerum eſt ſcientia, quæ rationibus certis divinâ quâdam mentis perſpicaciâ id, quod futurum eſt, proſpicere atque præſagire poteſt. Hinc purpurati ad Thomam converſi, ajunt: Tuum eſt, o Thoma, hoc ſomnium interpretari. Reſpondet Thomas:

mas: Non equidem ſpondeam, me in hujus ſomnii interpretatione ſingula minutatim explicaturum; ſed ipſa capita & veluti momenta rerum breviter indicaſſe, labor erit. Tute, o Rex, es paſtor ille, qui, ut opilio oves, populum tuum paſcis. Te regnante lupi aliqui, id eſt, primates contra cives tuos, qui ovium nomine ſignantur, inſurgentes litem illis movebunt. Quâ aliquandiu inter ſe tractâ, te ſententiam rogabunt. Tu vero judicans Primates cauſa eſſe ſuperiores, litem ſecundum ipſos dabis, populum ſententia tua damnabis. Leoninus ille catulus ex antro ſuo prorumpens, filius tuus eſt, qui populi tui cauſam defendendam ſuſcipiet. Quod lupi in ſomnis reverti tibi ſunt viſi, ſcilicet id ſit, quod fortaſſis primates filii tui ſententiâ parum acquieſcentes, datâ primum populo tuo clade, in montes profugient. Tum Rex: Quanquam interpretatio tua, o Thoma, mihi animum reddidiſſe poteſt videri; nondum hic tamen prorſus ad priſtinam rediit tranquillitatem; quare relaxandi animi cauſa, in hortos noſtros majores concedamus, ut ſic inter hortorum gaudia & voluptates anxias mentis agitationes & turbulenti ſomnii reliqūias feliciter diſcutiamus. Continuo

tinuo purpurati omnes una cum Rege in hortos prodituri ſe parant. Cum jam in hortos veniſſent, Rex Thomæ ait: Equidem mirari ſatis non poſſum, o Thoma, quid cauſæ ſit, quare temporum lapſu ipſæ etiam artes atque ſcientiæ labantur atque deficiant? fidem ſanè huic rei ipſa experientia facit. Nullus enim poſterioribus ſeculis Ariſtoteli ſe parem ſcientia eſſe probavit. Nec in arte Medica ullum cum periti ſſimo Avicenna certantem vidit poſteritas. Præterea etiam cur Nabuchodonoſoris & Pharaonis tempora eo fuerint noſtris beatiora, quod illi ſomniorum interpretes habuerint; nos vero ſcientia illa careamus. Reſpondit Thomas: Gemina hujus rei ratio afferri poteſt, o Rex; prima eſt, quia ſomniorum interpretatio vaticinii rivulus & vena eſt. Atque gens ea, quæ vaticinandi illud munus ſibi proprium vindicavit, ipſa quoque ſomniorum veros interpretes habuit. Hoc ipſum vero vaticinandi munus nulli, niſi ſoli Judaïcæ genti conceſſum a ſummo Numine eſt, quod dux & princeps ejus Moſes precibus ſuis a DEO, ut prærogativam, genti ſuæ obtinuit, atque reliquit. Altera eſt, quia Salomo, qui fulgore ſapientiæ ſuæ inter mortales ſolus appellari ſapiens meruit, naturæ huma-

næ conditionem optime perſpectam habens, genti ſuæ quædam ſigna tradidit, quorum beneficio ſomnia interpretari poſſunt. Tum Rex: Cum igitur, ut dicis, res ita ſeſe habeat, ſapientem aliquem Judæum quærendum cenſeo, qui fortaſſis ſomnium illud nobis explicet. Jubet igitur Rex miniſtros ſuos, ſenem Benveniſtam ſapientem Hebræum adducere. Quem adductum Rex ita affatur: ſapientiſſime ſenex, ſomniane interpretari ſcis? quam ſcientiam majores veſtri olim abſolutiſſimam tenuerunt. Reſpondit ille: Poſtquam miſeri nos focis ariſque caremus, o Rex, univerſa ſapientia noſtra evanuit. Quis igitur noſtrum nunc ſomnia exponere ſciat? Cui contra Rex: Iſtud quidem, quod tu dicis, ſapientiam veſtram periiſſe, o ſapiens, falſum eſt; memini enim monachum Paulum, qui Salmanticâ huc advenerat, mihi narrare: ſe hauſiſſe cum condiſcipulis ſuis ſapientiam Thalmudicam clanculum a viro quodam ſapiente, quondam Judæo; ſed tum forte vi ad Chriſtiana ſacra compulſo. Tandem vero aliquot annis poſt, reipſa comperiſſe ſe, ſcientiam illam reliquis omnibus ſcientiis eſſe ſublimiorem. Quodſi exilium, ut dicis, ſapientiam perdat: undenam majores veſtri, cum in Babylonico exilio agerent, ſapientiam illam habuerunt? Judæus inquit: Illi quidem

dem in exilio egerunt; ſed tamen qualemcunque ſapientiæ venam retinuerant: Proximi enim fuerunt ſapientiſſimis illis viris, qui omnia ſibi a majoribus tradita poſſidebant: Nobis vero a vivo illo ſapientiæ fonte remotiſſimis, illa ſapientiæ vena omnino exaruit: hinc lux & fax legis noſtræ hodie prorſus extincta eſt: & nos ut cœci palpamus in meridie. Tum Rex: O craſſam ignorantiam! quæ exilium ſapientiam perdere dicit: numquid ſapientia a patria veſtra, aut ab humano pendet ingenio? Reſpondet ſapiens Judæus: ſapientia equidem, o Rex, non à patrio ſolo pendet, quo miſeri caremus; ſed vere ab ingenio noſtro, quod proh dolor! in ſervitutem atque exilii miſerias abreptum, in dulciſſimis ſtudiis parum occupari poteſt; quin in quærendo victu, præſtandis regiis mandatis, ſolvendiſque tributis, miſeré diſtinetur: undenam otia petamus, ut ſuaviſſimis ſapientiæ literis Hebræi vacare poſſimus? Jam olim enim divinus ille vates Jeremias ita pronunciavit: Cap. XLVIII. Quietus fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requievit ipſe in fæcibus ſuis, neque fuit tranſfuſus de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non ivit, ideo permanſit ſapor ejus in eo, & odor ejus non immutatus eſt. Hic Rex ad Thomam converſus ait: Non dubito, quin perſpicias, o Thoma, hæc

hæc Judæi argumenta quam ſint frivola, quam anxie quidem conquiſita. Contra Thomas: Hæc meo quidem judicio non frivola; ſed certiſſima eſſe videntur: ipſe equidem rerum uſu edoctus ſatis pervidi admirandam gentis illius ſapientiam, quâ eminuit olim, cum adhuc in otio ageret libera. Ipſi enim Hebræi tradunt: quod multis in rebus ſapientiſſimum virum Platonem præclare confutaverint: Hoc vero tempore ſapientia illorum plane fere attrita atq; imminuta eſt. Ego rem ita putare ſoleo: majores ipſorum mihi ſimiles eſſe videntur iis, qui facem accenderunt de igni longè latèq; circumfulgente, per quem vaticinandi illud beneficium, atque majorum inſtituta ſive traditiones acceptas intelligas. Qui noſtro vero ſeculo vivunt Hebræi, haud diſſimiles ſunt iis, qui ex colliſis acriter ſilicibus ignem ægre eliciunt: multum quidem laborant; ſed parum promovent: & illud ipſum parum propemodum nihil eſt. Judæorum ſane ſtudia nunc perinde ſe habent, ac ſi quiſpiam ex colliſis acriter ſilicibus ſcintillas excutiat; quæ partim in ſublime feruntur; atque eo ipſo, quod ſublimia petunt, pereunt: partim vero in terram decidunt, atque ſubito extinguuntur: & hoc quidem reipſa expertus pronuncio, Judæorum ſtudia nunc ita ſeſe habere, ut dixi. Fui in Judæorum Academia, illos rogavi de

qua-

quarundam rerum ſententia; ſed ne unus quidem ad rogata reſpondere potuit. Rex ait: Ego audivi Judæos inter diſputandum alios cum aliis ferociter congreſſos colluctari, ut boves, quando commiſſis cornibus mutuos ſibi ictus acriter infligunt. Thomas reſpondet: Fortaſſis ovium morbo laborantes adeo colluctantur: tradunt enim naturæ conſulti: Oves vermiculum quendam in cerebro habere, quem ut occidant, frontibus commiſſis mutuis ictibus acriter colliduntur. Sed ſi verum fateri volumus, hæc atque hujuſcemodi alia ficta falſaque ſunt crimina, quæ inimicus inimico impingere ſolet. Rex inquit: Ipſi Judæi nullum inimicum, niſi ſe ipſos habent, ut qui ſaluti ſuæ obſtantes ſacris noſtris accedere nolint. Contra Thomas: Judæos ſimiles eſſe vere dixeris faci ardenti, quæ dum aliis allucet, lucendo ipſa conſumitur. Ipſi enim nata nobis ſacrarum literarum dubia perſpicuis aperiunt: lociſque obſcuris magnam lucem affundunt, cum linguæ Hebrææ exquiſitiorem, quam nos, habeant notitiam; dum vero aliorum ſalubria conſilia non admittunt; ipſi miſere pereunt. Deniq; ut paucis expediam; exilii calamitas ſapientiam illorum enervat, quam ne tandem prorſus amittant, periculum eſt. Conſtat enim ex Arabum monumentis: Arabum quendam Regem,

cum a sapiente quodam accepisset, exilio cor hominis attenuari: id ipsum experimento discere voluisse. Duos igitur catulos leoninos adduci jubet, leo enim cor valentissimum habet, utrumque mox recenti partu editum, ut pari corporis mole & robore essent, in circumseptum undique campum deferri curavit. Alter vinculis adstrictus continebatur: alter liber per campum errabat: uterque vero pari alebatur pabulo. Aliquot annis post, compertum est mactatis leonibus, illius cor, qui vinculis alligatus fuerat, vix decimam partem cordis alterius leonis æquavisse. Eo audito, Rex inquit: Nunc equidem haud miror, quare in sacris literis ita pronunciatum de Judæis sit: Levit. cap. XXVI: Fugabit eos sonus folii impulsi. Ex tua equidem sententia, cor nullum plane habeant: sed illud mirari subit, unde Judæis illud animi robur, quod infracto animo exuri, quam legem suam deserere, malint. Thomas inquit: Omnia in hac universa rerum natura generis atque originis suæ ingenium referre solent: Sapientis alicujus mihi filium vide, o Rex, quamprimum blandâ balbutie patrem matremque appellare potest, tractandorum librorum quædam indicia edentem: gladium vero si quis ei ostenderit, protinus fugientem; quia militaris ille

ille & tractandi arma cupidus animus patri illius nunquam ingenitus fuit. E contrario militis filius, quamprimum ille per ætatem incedere poteſt, gladio cinctus, atque armis inſtructus prodit; libros vero cane pejus & angue fugit. Piſtoris filius fingit ſibi furnos; fabri materiarii, inſtrumenta fabrilia quærit. Sic etiam Judæi referunt indolem autoris gentis ſuæ Abrahami, qui in religione conſtans & immotus, variis afflictionibus in urbe Cuta per quadraginta annos exercitus, tandem in flagrantiſſimum caminum conjicitur. Ab hoc cum genus ſuum atque religionem ducant, tantam quoque animi fortitudinem accepere. Tum Rex: Hoc ipſis non fraudi equidem, ſed laudi eſſe debet; perinde ac ramo & fructui gloriæ eſſe ſolet, ſi neutiquam degeneres ſtirpis bonitatem ita referant, ut ei prorſus ſimillimi eſſe videantur: parvi ſane refert, illos in exilio conſeneſcere; quo ipſo, quod multo glorioſiſſimum eſt, ſtirpi ſuæ ſimiliores fiunt. Nam ut videmus annoſas arbores, vetuſtate emorientes radices ſuas prodere, ita latentem originis ſuæ nobilitatem explicat exilii malis preſſa virtus. Poſt hæc Rex ad Benveniſtam converſus, ait: Satis mirari non poſſum vos Judæos, cum exilium ſapientiam veſtram perdiderit,

quod non etiam comminuat animi vestri fastum atque ambitionem, quâ vos ad rerum fastigia eniti studetis. Neque hoc prætereundum est, quod cum mancipia sitis, ita splendide vestiti incedatis, perinde ac ingenuis parentibus nati. Cum tamen vos non nescire sciam, fungos atque mortalium ineptissimos quosq; superbire solere; non vero bonæ mentis viros. Respondet sapiens: Hæc, o Rex, ratio est, quod vilissimus splendidioribus vestibus aliquam rerum domesticarum amplitudinem mentitur; ne prorsus inops deprimatur. Præterea etiam, o Rex, non videbis pretiosis vestibus ornari quenquam, præter juvenes atque mulieres, in quorum numero tot sapientes sunt, quot in mari vulpes, aut pisces in terra degunt. Num observasti, o Rex, me, cujus arbitrio imperium totius Castellæ permissum fuit; unquam bombycinas vestes gestasse? Rex inquit: Scilicet peculatus suspicionem fugiens metuisti; ne publicas opes in privatæ vitæ luxum convertisse dicereris. Hic Thomas interpellat: Quod Judæi cives tui pretiosis utantur vestibus, tibi, o Rex, gloriosum esse censeo. Deinde Judæi Castellæ incolæ, si qua fides dubiis, genus suum ad Davidem Regem referunt. Et leo quamvis quartanâ laboret, leonem tamen se esse meminit; nec rugi-

re

re desinit; quemadmodum sacrum habet oraculum: Genes: cap. XLIX. Incurvavit se, accubuit, (sed) sicut leo. Atque adeo illi, quanquam in exilio agunt, avitæ majestatis memores, regios tamen spiritus amant, & quos animos gerant, regali vestium luxu ostentant. Adhucdum Thoma loquente, frequens turba ad hortorum fores adest, clamitans: fidem tuam imploramus, o Rex; Rex foribus apertis clamitantem turbam intromitti jubet. Quæ frequens ingressa ait: Clementissime Rex, internecione deleri meruerunt Hebræi, qui nefarium & inauditum scelus commiserunt; nos ecce, ob siccam aeris temperiem, supplices sacrâ pompâ per publicum incedimus, ductante Antistite nostro, qui sacrum calicem præferebat. Judæi autem de fenestra prospicientes, urinam in ipsum sacrum calicem profundunt. Rex inquit: Rem absurdam & incredibilem omninò dicitis, urinam in sacrum calicem profudisse Judæos. Populus contra: Quid juvat, o Rex, vanitatis nos arguere velle: cum mille adsint oculati testes? Tum Rex: Rem ad consiliarios meos referam, sententiam eorum exquiram: utrum Judæos funditus delendos, an regno meo ejiciendos esse censeant. Sub vesperam cum Consiliariis

Rex deliberat; qui protinus in hanc ſententiam conſentiebant, Judæos regni finibus omnino exterminandos eſſe, ut concitatæ plebis furori ſalubri hoc conſilio eriperentur: dubium enim non erat, quin populus in arma & furias concitatus Judæos invaderet, impulſus religione Numinis ſui, cujus gloriam vindicare ſtudebant. Et ſi quis populo in furias igneſque ruenti ſe objiceret, pium populi ſtudium impedire velle videretur: adeo, ut ſectarius, aut impius audiat. Tum Prorex ait: Quanquam parum veriſimile eſſe videtur, hujuſcemodi quippiam Judæos patraſſe; quis tamen nobis vaticinabitur, annon DEUS populi animos commoveat, ut eâ ratione injuriam filio ſuo illatam vindicet? Quæ mihi quidem omnis mali origo eſſe videtur. Ad hæc Rex: diplomata conſcribantur, & ſubſignentur, ut trimeſtri ſpatio Judæi ex regnis meis excedant; quæ protinus ſcripta & ſubſignata fuerunt. Hinc Rex ad Thomam: Quid tu ita altum ſiles, o Thoma? Ille inquit: Poſt ſubſcripta quidem diplomata de miſerorum innocentia aliquid ſubjeciſſe ſerum, aut fruſtra eſt. Sed hoc, quod nunc agis, o Rex, mihi ſomnium tuum ſignificaſſe videtur. Ad quæ Rex: Ita me DEUS amet, hoc, ut dicis, ſomnium meum eſt. Quare edictum ne prius promulgator, quam

rem

rem certius cognoverim. Interea Regis filius jam forte octodecim annos natus, prudens, sapiens, fortis atque formosissimus prodit, dicens. Benignissime Pater, si dicendi potestatem mihi feceris, pauca dicam. Pater inquit: loquitor fili mi, & diu mihi patri vive superstes. Regis itaque filius dicere orsus ait: Quis tale quid fando unquam audivit, quod propter ineptorum hominum turbas, innoxiam gentem exilio damnare constituas, & quidem re non perquisitâ? Fieri etenim potest, improbum aliquem Christianum Judæis infestum id fecisse, qui criminis sui culpam in Judæos conferat: Quin & fieri potest, miserum illum Judæum, quem istius sceleris accusant, parvos habere liberos, qui patre planè inscio, id imprudentes fecerint. Cujus rei exemplum tempore Regis Petri evenisse legimus: scilicet Christianum quendam scelestum Judæorum exitio imminentem, mysticum Servatoris nostri corpus in cujusdam Judæi latrinam abjecisse. Præterea fingamus etiam, illud fecisse Judæum: Nulla tamen majorum ætas posteritati tradidit, unquam fuisse pastorem, qui aliquot propter oviculas e caulis elapsas, totum gregem perdiderit. Quin e contrario tanto intentiori cura gregem custodit, oves fugitivas ad ovile reducit, lana earum fruitur, lac bibit,

hæ-

hædulis atque agnellis veſcitur, grege nunquam deficiente. Tum Rex Judæum flagitii illius reum accerſit, accerſito inquit: Parumne vobis Judæis eſt, ſubditis meis ſuperbè inſultare, niſi etiam DEO meo nefariè illudatis? Reſpondet Judæus: utinam vero morte mulctetur, o Rex, qui DEUM tuum ludibrio habere ſit auſus! Num veriſimile eſt, Judæum tam infandum crimen in ſe eſſe admiſſurum, ſpectantibus vel mille etiam hominibus, quo ipſô ſanè promeruiſſet, ut corpus ejus innumeris vulneribus confoſſum atque conciſum, formicæ fruſtillatim differant. Tum Regis filius rogat, liberoſne habes Judæe? Qui cum ſe habere negaret. Quos habeat vicinos ex eo ſciſcitatur. Judæus ab altera parte ſe Chriſtianum habere vicinum reſpondet. Protinus Chriſtianus ætate gravis cum filio ſuo accerſitus, adeſt; jurans ſe nullius rei conſcium eſſe. Tum Regis filius Chriſtiani filium ſevocatum hiſce verbis alloquitur: Si mihi, o puer, quod de hoc negotio certo ſcis, indicium feceris, te equeſtris ordinis inſignibus a me ornatum iri, ſanctè tibi juro. Puer contra inquit: Vereor ego, ne meo indicio peream, ut ſorex; ut tamen ſatisfaciam tibi, ingenue fateor, me mali illius autorem fuiſſe; ſed plane invitum. Certè nullo conſulto conſilio,

ſilio, nec prava peccandi conſuetudine id feci, nec malo ſum animo, Chriſtianus enim ſum. Nos domi noſtræ parvam habemus feneſtram, unde in ſubjectam Judæi aream patet proſpectus: ego vero cum ſolennis ſupplicationis pompa procederet, illuc forte ſpectandi cauſâ me confero, locus enim ille ad ſpectandum aptiſſimus erat. Ergo videndi aviditate feſtinus in cantharum aqua plenum incurro; cujus aqua lympida ſane, offenſatione iſtâ per me quidem; ſed certe invitum profunditur: rem totam, ut geſta eſt, o Rex, narravi ordine, ſi quis forte diſſentiat, næ ille prudens & ſciens à recto & vero abit. Rex hoc audito aſſurgens ſolio ſuo, exclamat: Merito te celebro veneror que, Magne DEUS, qui mihi filium dederis, regno poſt me adminiſtrando, me etiam aptiorem. Objiciunt Chriſtiani: Judæos fortaſſis puerum auro corruptum ad hæc dicenda ſubornaſſe. Quibus Rex ait: Magnus ille DEUS rem totam me ſomnio præmonuit, viſus enim venire eſt leunculus quidam, qui meas oves ab imminenti exitio liberavit: jam vero hic nullæ ſunt oves, quæ luporum laniatu perire poſſint, niſi miſeri iſti Hebræi. Extemplo itaq; vos hinc excedite, ne forte ſceleribus veſtris iraſcens univerſos interfici jubeam: Omnes enim purpurati mei teſtes adſunt, rem totã me ſomnio

ante fuisse edoctum. Tum Rex ad purpuratos conversus, ait: Quæ causa est asperrimi hujus odii, quo impulsi Christiani Judæorum exitio tantopere inhiant? Si quis responderit: Judæos sustulisse Servatorem nostrum, rogari causam poterit; Cur Muhammedani acriori & infestiori longè odio prosequantur Hebræos, cum tamen vatem illorum non occiderint? Famâ enim accepi, non permittere ipsos Judæis, ut semitis, quæ in viarum oris altiusculæ esse solent, reliquorum hominum more incedant; sed eos veluti pecora rejiciunt in medias vias: qua jumenta incedere solent: additâ voce hâc; qua eos prosequuntur, infami Serbul, quæ ipsorum linguâ spurcum & vile pedum tegumentum, id est, calceum significat. Thomas inquit: Meo quidem judicio hæc mihi occulto quodam fato fieri videntur; ne scilicet amicitiam ullam cum aliis gentibus contrahant, & arctiori consuetudine in unum quasi coâlescant: maximis enim longe malis dum exagitantur, Christianos fugiunt; & nihil magis student, quam ut tantis malis agitati legem suam serio servent. Exemplo quidem nobis sit carbonarii ignis, quem si quis inflammare studet, subito aquam infundit, quâ latens ille ignis irritatus in strepentes flammas & fulgura erumpit. Cujus ratio hæc est; ignis contrarium ele-

mentum

mentum aquam ſentiens, vires ſuas undique contractas explicans, ſuperandum illud ingenti flammarum ſtrepitu & fulgure invadit, atque adeo ſuperat. Triduo poſt duo Judæorum legati ex urbe Carione veniunt, nunciantes: Chriſtianos coörtos invaſiſſe Judæos, myſtici calicis violationem ſcelerato conſilio prætexentes: Duos etiam ex Judæis eſſe occiſos, reliquis ad principis ædes, qui tum forte aberat, confugientibus: quæ quidem ædes ampliſſimum atrium habebant, quod cum amplas fores, & alibi occultum haberet oſtiolum, cujus ſoli conſcii eſſent Hebræi. Illuc fugientes Hebræos perſequuntur Chriſtiani, quibus per fores irruentibus, Judæi, oſtiolo ſeſe proripientes, illud diligenter obſtruunt: deinde ad fores properantes, eas itidem firmiſſime claudunt; adeo ut Chriſtianos atrio incluſos captoſq; tenerent. Rex ait: o præclaram fortitudinem & virtutem veſtram, egregiam certe laudem iſto facto meruiſtis: Tum Rex miſſo, qui rem cognoſceret, decem Chriſtianos conjurationis principes in crucem agit; reliquis novem menſes carcere damnatis. Rex continuo ſubjicit: Gratias tibi habeo atque ago, o magne DEUS, ſiquidem eventus ſomnio meo fidem feciſſe videtur. Iſti enim ſeditioſi & turbulenti homines ſunt lupi illi, qui mihi in ſomnis apparuerunt; qui

denuo reversi oves invadebant. His peractis Rex annalibus allatis hanc Judæorum historiam inseri jubet: in quorum annalium fronte hæc scripta deprehendit. Famæ nobilitate memorabiles 1. Jacobus inter patres. 2. David inter reges 3. Josua inter militiæ duces, propter occupatas plurimas regiones. 4. Arabia ob insignem subtilissimi aëris temperiem. 5. Hierosolyma ob sanctimoniam. 6. Judæi propter astutiam atque insignem animi pervicaciam. 7. Chaldæa propter divitias. 8. Ægyptus ob mercaturam. 9. Græcia propter artes atque scientias. 10. Roma propter bella. 11. Neapolis ob ornatum. 12. Tuscia propter dicendi suavitatem & elegantiam. 13. Hispania propter morum gravitatem. 14. Lusitania propter nauticæ artis peritiam. 15. Venetiæ ob reipublicæ regimen & prudentissima consilia. 16. Galliæ propter religionem & pietatis studium. 17. Germania propter insignem splendorem atque raram fortitudinem. 18. Servator noster ob immensam clementiam. 19. Inter mulieres Abigail propter ingenii acumen. 20. Esther propter venustatem & formæ gratiam. 21. Hanna propter preces. 22. Maria virgo mater ob verecundiam. Rex inquit: Quare autor ait: Judæos ob insignem animi pervicaciam clarissimos esse? Nemo equidem nescit, pervicaciam abjectis-

abjectiſſimum eſſe vitium: neque etiam pervicaces amari, niſi ab aliis pervicaciæ deditis ob ſimilitudinem morum, ex quo amor naſcitur. Reſpondet prorex: Pervicacia legum cauſa neceſſaria eſt: hac enim unâ, quaſi fundamento quodam, ſtat & nititur lex Hebræorum: hoc fortaſſis nomine eos autor clariſſimos eſſe dicit. Præterea etiam cum in lege accipienda pervicaces & obſtinatiſſimi fuerint; non mirum videri debet, ſi eam pertinaciter defendant atque retineant. Sapientes Hiſpani enim dicere ſolent: Qui cito amat; cito odit. Thomas inquit: Hæc ſunt, quæ Philoſophus tradit: Amicum, qui facilè recipit; amicum facilè perdit. Ad hæc Rex: Ego ſententiam iſtam verbis ab his nonnihil accepi diverſis; ſcilicet: Qui amicum prius, quam ejus ingenii periculum fecerit, recipit; antequam ingenium ejus perſpexerit, etiam odit. Rex porro ait: Autor idem Judæis adſcribit aſtutiam, quis vero dixerit mihi, unde illam hauſerint? Prorex dicit: Aſtutia, quam habent Judæi, mera fallacia eſt, quam & Jacobo autori patri ſuo debent. Rex contra inquit: Sacræ tamen literæ hunc in modum de Jacobo pronunciant Gen. xxv: 27. Jacobus erat vir ſimplex. Reſpondet Thomas: Primo quidem Jacobus fuit vir ſimplex, deinde vero in mille aſtutias degeneravit, qui exemplo ſuo nobis comprobavit; quod naturæ

consultus tradit: Puerum simplicem temporis lapsu astutum fieri; & contra astutum stupidiorem. Debent & astutiam suam Hebræi innumeris malis, quibus præ cæteris gentibus obnoxii sunt: multis igitur malis jactati, ut quæstum etiam aliquem faciant, novas omnino artes cudere, & dolis atque falaciis contendere debent. Sed ut rem scrutemur penitius; quæri posse videtur, quomodo Hebræos astutos esse perspici possit; Respondit Thomas: Rem exemplo discas, o Rex, accersantur tres Hebræi, qui gentis suæ stupidissimi habentur; comperies equidem, illos ad interrogata aptissimè responsuros. Tum Rex tres ex foro primum obvios vocari jubet, præsentes rogat, quâ arte victum quærant. Primus sartorem, alter textorem, tertius sutorem se esse ajunt. Tum inquit Rex; accersiti eo consilio estis, ut ad interrogata mihi respondeatis; nolite itaque vano fortassis metu perculsi, aliquod vobis monstrum animo fingere. Certe meùm non aliud est studium, quam ut Judaïci ingenii aciem penitius perspiciam: proin si forte non aptè ad rem responderitis, culpam istam in opificia vestra rejicite, quibus, non vero sapientiæ nutricibus literis, ætatem vestram trivistis. Responderunt Judæi: Res ipsa loquitur, nos bonis literis non esse innutritos,
quomo-

quomodo itaque ad interrogata tua respondeamus? Rex inquit: Hoc ipsum est, quod volo: proin ad interrogata mihi, ut captus est vester, respondete. Primo omnium, cum nos universi, imprimis vero vos lege vestrâ teneamini nosse eum, quem colitis: prout sacræ literæ vobis præscribunt. Jerem. cap. XXXI. v. 34. Cognoscite Dominum. Indicate mihi, quid sit Dominus ille? Respondet primus Judæus: Quid Dominus ille sit, dicam, o Rex? primum igitur quæro ex te: Quando sedes in solio tuo, quæ te causa movet, ut surgas. Et cum stas, quid causæ sit, quare consideas? Deinde quare venæ sanguinem attrahant? Tum quænam omnia illa sint membra, quæ homo habere dicitur, digerentia, distribuentia & excernentia. Respondet Rex, o hominum homo stultissime, si ego dentes meos, qui maximam partem nudi sunt, parum novi: quomodo corporis mei viscera cute & carne operta pernoverim? Ad hæc Judæus: Audi, o Rex, quam bene locutus fueris: ipse olim David his similia quasi rogatus fuisse videtur; sed harum rerum scientiam non sibi, sed DEO attribuit dicens: Psal. CXXXIX. v. 2. Tu cognoscis sessionem meam, & surrectionem meam. Et hanc naturæ tuæ conditionem cum ignores, o Rex, quomodo scire & comprehendere ejus naturam possis, qui decem

cem cœlis nobis eſt ſuperior, cujus Numen nubibus atque craſſa caligine cingitur, quemadmodum ſacrum habet oraculum Pſalmo XVII: verſu 2. Nubes & caligo circa eum eſt. Deinde alter Judæus ait: Magnus ille DEUS univerſi conditor & rector eſt Rex excelſus, cujus pedes in terram uſque pertinent. Ad cujus verba Rex ita dicebat: Quantum vecors ille a recta ratione delirat, & quantum DEUS putido iſti cerebro corpus habere videatur, æterna & perfectiſſima illa mens? ſi illius ineptias audiamus, fateri oportet, DEUM nudis pedibus incedere, lana equidem cunctorum animalium non ſufficiat texendis illius tibialibus, neque univerſorum animalium coria calceos ipſius præſtare poſſint. Hæc dum loquuntur, adeſt forte Clariſſimus Joſephus exulum princeps, cui Rex inquit: Vidiſtine vecordem hunc hominem, qui dicit, DEUM habere pedes, terram uſque pertinentes. Princeps ille reſpondet: Ne mireris, o Rex, miſerum hunc atque indoctum hominem, qui ſacræ ſcripturæ verba, quæ ſic habent: Eſa. cap. LXVI. verſu 1. Cœlum eſt ſolium meum, & terra ſcabellum pedum meorum: ſimplici ſenſu accipit. Tum Judæus inquit: Multum aut parum ſapere, hanc aut illam religio nem

nem ſequi fati munus eſt, quod potenti manu humanæ vitæ habenas temperat. Quid, nonne Chriſtiani DEUM ſuum corpus habere credunt? Rex contra: O inſanum & dementem hominem! Nos hoc credimus, quia cum DEUS humanæ vitæ crimina expiaturus eſſet, humanam quoque naturam induere neceſſe erat. Verum ille univerſi conditor, corporis expers, omnium, quæ ſunt, ſimpliciſſimus eſt. Judæus ait: DEUS univerſi conditor vivit quidem; ſed non uti nos: Sapiens & potens eſt; ſed modo a nobis diverſo. Rex inquit: Hujus rei antea nihil quidquam dixiſti, imo ne innuiſti quidem. Reſpondet Judæus: Quomodo ego cæcus dicam, quæ nec ipſi vates a DEO illuſtrati dixerunt? Ipſe Moſes diviniſſimus gentis Hebraîcæ rector Deut. cap. III: vers 24. ita loquitur: Quiſnam eſt DEUS in cœlo vel in terra, qui poſſit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ? Et Jerem. cap. x: vers 7. Inter omnes ſapientes gentium, & inter omnia regna earum, non eſt tui ſimilis. Hinc vates univerſi, quidquid de DEO locuti, negativè, ſcilicet illum ſimilem non habere, dixerunt; nulla certa formâ clarius deſcripſerunt. Si vero me de DEO tuo rogaſſes, reſpondiſſem tibi, qualem ejus effigiem

vidi expreſſam, oculis acutis, qui ingenii aciem arguunt; tenui vultu ſapientiam probante; barbâ dividuâ, quæ varias cogitationes & aſtutiam indicat: hanc ſcilicet illius, qualem eam vidi depictam, faciem eſſe declaraſſem. Mei vero DEI, quem nullus vatum depinxit, faciem fingere, vanum eſt. Prorex ait: Hic meruit, o Rex, rogo vivus exuri, qui DEUM noſtrum aſtutiæ atque fallaciæ inſimulare audeat. Reſpondet Rex: Imo præmium meruit, quandoquidem verum dixiſſe eſt viſus. Nemo equidem inficias it, Servatoris noſtri matrem Judæam fuiſſe, à qua calliditatem ſuam hauſit. Verum enimvero natura ipſius divina longe exſuperavit humanam: hinc fuit quantuſcunque fuit. Secunda quæſtio eſt. Tradunt ſapientes veſtri à terra uſque ad cœlum patere iter quingentorum annorum, unde hoc illis conſtat? Reſpondet Judæus: Memini me Thomam veſtrum audire dicentem, eſſe ſigna duodecim, & unumquodque ſui corporis mole orbem terrarum centies ſeptuagies ſuperare. Atque idem ille, qui ſigni illius magnitudinem palmo eſt dimenſus, paſſibus quoque intervallum inter cœlum & terram interjectum obſervavit. Deinde Rex alterum Judæum reſpondere jubet, qui ſic infit: Sapientia mea immenſum illud ad

aſtra

aſtra iter nunquam eſt emenſa; ſed viam textoriam & laneas telas ſæpiſſimè percurrit. Poſtremò tertium reſpondere jubet, qui ita ait: Ego equidem reſpondere non poſſum, qui primum errorem commiſi, dum hoc ſaluberrimum Davidis conſilium Pſalmo xxxix: vers 2. Ponam ori meo cuſtodiam; imprudenter neglexi. Ad quæ prorex inquit: Hæc reſponſio priori etiam eſt deterior. Tertia quæſtio: Quomodo æſtuans ille calor provenit a Sole, qui nullum calorem in ſe habet; num quis autem alteri, quod ipſe non habet, dare poteſt? Reſponſio: Ego accepi, calorem iſtum non proficiſci a Sole; ſed Solem circuire ſphæram ignis, atque inde naſci calorem iſtum creaturis omnibus aptiſſimum, qui & vita noſtra eſt. Cui Rex: Qua ratione probas, calorem iſtum vitam tuam eſſe? Reſpondet Judæus: Video enim eos, qui cum morbo aliquo conflictantur, mane Sole oriente melius habere; ſub veſperam vero Sole occidente morbum ingraveſcere: quia tum mortalibus calor ille ſubducitur. Rex inquit: Quantum ex oratione tua colligere poſſum: tu mihi medicus eſſe videris. Prorex reſpondet: Audivi eum eſſe Galeni diſcipulum. Judæus inquit: Nequaquam, o Rex, verum mater mea ſenio decrepita ſubinde ad Lunæ

 lumina

lumina pensa trahens, talia mihi narrare solebat. Ego vero sedulo auscultans, res majoris momenti, & admiratione dignas literis consignabam; cujus quidem rei uxor mea locuples testis esse possit: Ad hæc Rex: Quantum, bone DEUS, sapere potest ille, qui matris sinu relicto se in uxoris sinum devolvit! Quarta quæstio: Quodsi pinguedinis & sanguinis esu interdictum vobis fuit, quia DEO vestro hæc sacra erant, quare nunc iis vesci negatis, cum nulla sacrificia immoletis? Respondet primus Judæus: Quodsi instauretur brevi Fanum nostrum, cum pravâ peccandi consuetudine corrupti, esum eorum dediscere non possimus: quo futurum est, ut, si semel vesci iis assueverimus, semper pravo peccandi studio laboremus: & rei malæ consuetudinem, postquam in naturam vertit, frustra vincere studebimus. Rex inquit: utinam sacra ædes vestra sub hujus anni finem instauretur! sed mirum profecto est; animos vestros vanæ huic spei tam alte esse immersos, cum tamen contra divinus vates Amos cap: V: versu 2. pronunciet: Cecidit, non denuo surget Virgo Israëlis, derelicta est super terram; non est, qui eam attollat. Ad quæ Judæus ita respondet: Vatis illius hæc est sententia: non futuram

ram esse amplius illibatam virginem, quæ nulli viro obnoxia fuerit: Nos enim Judæos subjecere Reges, atque id ipsum est, quod vates ait Esaias cap: XXVI: vers 13. Domine DEUS noster, dominati sunt nobis domini præter te. Hinc Rex ita loquitur: Vos certe, Hebræi, in Hierosolymitanis portis vestris pingere oportebat, quod olim pinxere cives Neapolitani in suis: Ipsi enim in summa libertate suo jure & more viventes, in portis suis pictam monstrabant virginem; amissa vero libertate, subacti pro virgine substituêre clitellas asino imponendas: quibus, tristi sane & vili servitutis spectaculo, se ut asinos subjectos esse signabant; atque ita aurea amissæ libertatis privilegia sero ad animum revocabant. Ad quæ Judæus respondet: Neapolitani jampridem imperii sui fasces feliciter recuperarunt.

Quinta quæstio: Cur noctu somnus profundior est, quam interdiu?

Respondet Judæus: Quia noctu frigus acrius est, quod sentiens calor qualitas frigori contraria ad cor concurrit, atque sic reliquis corporis membris frigore occupatis, sopor mortalibus inducitur. Thomas inquit: Ita sane, ut dicis, sese res habet, contra externus ille calor æstivo tempore internum cordis calorem ad exteriora corporis

membra provocat; quæ causa est, quare cor hominis calore insito cassum, æstivo tempore parum somnii mortalibus præstet. Notandum hic etiam esse videtur, illud Lusitanorum statutum, quo hominem rebellionis reum hoc supplicii genere damnare solent, ut igni, quo eum insomniâ excrucient, quam proxime admoveant, qui eum dormire non patitur.

Sexta quæstio: Moritur anima, an non?

Respondet Judæus: Non moritur, quia non constat quatuor elementis, quorum aliud ab alio superatum corpus extinguit: elementis itaque cum non constet, per innatam iisdem pugnam, corporis more interire nequit: Sed nullum est dubium, quin aliquando dirissimos olim patiatur cruciatus. Rex ait: o vecordem Judæum! qui animam æternam esse credit, cum omnes gentes in eo consentiant, neminem præter solum DEUM æternum esse. Tuâ quidem sententiâ & anima æterna erit. Respondet Judæus: Quod ad animæ principium attinet, ea æterna dici nequit: quia ab omni ævo non fuit, quippe creata a DEO, cui originis suæ principia debet. Rex contra ait: Ipsi vero sapientes vestri tradunt: Quicquid nascitur, ut moriatur, nasci. Respondet Judæus: Hæc sapientum verba

sapien-

ſapienter intelligenda ſunt, ſcilicet; Quicquid naſcitur, mori poſſe, ſi DEO fuerit viſum. Non vero dixerunt: qui naſcitur, certo morietur. Rex inquit: Nunc quidem Judaïci ingenii acumen ſatis mihi exploraſſe videor: omnium ore celebretur magnus ille DEUS, qui hos ſibi chariſſimos voluit. Mirari vero ſatis non poſſum, quam diſtincte & perſpicuè reſponderint Hebræi; equidem ſapientiam aliquam habent, quam tamen nunquam didicerunt. Thomas inquit: Hebræi ad auſcultandum promtiſſimi, aviditate diſcendi pueros imitantur. Hæc quoque ratio eſt: quod pueri feliciorem, quam ſenes, habeant memoriam, & rerum præteritarum facilius reminiſcantur: Quia res quaſlibet majori cum admiratione atque ſtupore vident & audiunt. Deinde res ante inviſæ & inauditæ ipſis, ut nova naturæ monſtra, apparent, hinc ea fidelius & firmius memoriæ ſuæ imprimunt. Inde Rex rogat: Quid rei eſt, quod DEUS Davidem, ejuſque poſteros ad regni faſtigium delegerit, non vero Saulum, qui tamen ſingulari & admiranda pietate vir fuit, utpote cui religio fuerit, Amalecitarum infantes occidere? Fuit præterea eximiæ ſanctitatis: Samuel enim quanquam illi dixerit, 1. Sam. XXVIII: vers 19. Cras tu & filii tui mecum eritis, id eſt, morie-

moriemini. Hoc tamen tam triste & funestum Samuelis vaticinium Saulo non obstitit, quo minus ad bellum sibi exitiale futurum, tanquam ad nuptiale aliquod epulum lætus properaret. Respondet Thomas: Si Saulus supplex DEI fidem atque misericordiam implorasset, DEUS preces illius audivisset. David vero statim ad DEI minas in lachrymas atque luctum profusus, crimina sua precibus expiavit. Ad hæc Rex ait: Jam demum scio, quæ sit ratio; quod Hebræi, cum maxima cœli siccitate penuria aquarum est, pluviam supplices petentes præ cæteris gentibus audiantur. Prorex inquit: Ego haud dixerim, Judæorum luctum & lacrymas pluviam provocare, imo hanc veram esse causam arbitror, scilicet DEUM Judæos exosum, precibus ipsorum annuere, ne identidem improbis suis flagitationibus eum obtundant.

Oratio, quæ continet præcepta, quibus Rex præceptorem filio suo erudiendo præfectum his verbis instruxit: Te præceptorem scire omnino velim, hunc parvulum novellæ arbori similem esse, cujus ramum prehensum in quamcunque voles partem, facile flectas. Arbor vero cum jam adoleverit, & ætate induruerit, ramum prius rumpas, quam ex animi tui sententia flectas, aut corrigas. Tum quispiam,

piam, cui Nicolao nomen erat, inquit: Iſta oraculi mens eſt monentis Proverb. cap. xix: vers 18. Caſtiga filium tuum, cum adhuc ſpes eſt. Scilicet adhucdum puero ſpes eſt, fore, ut bonis moribus imbui ſe ſinat, & meliora monentem ſequatur. Primo omnium vero filium meum a mendaciis deterreas: quia ex vitiis nullum turpius eſt mendacio, quod & ipſa paupertate, quæ omnium vitiorum mater merito & jure vocetur, deterius eſt, quemadmodum ſapientiſſimus Salomo Prov. cap. xix: vers 22. teſtatur. Præſtantior eſt pauper, quam vir mendax. Secundo filium meum a jocis & ſalibus retineas, qui ſimiles ſunt rabidi canis morſibus, qui primum quidem non ſentiuntur; ſed poſtea funeſti eſſe ſolent. Tertio illum vini uſu prohibe, meo quidem judicio præſtare mihi videtur, occidere ebrium, quam adulterum. Mortales enim, quo naturæ neceſſitatibus melius ſuccurrant, alere atque augere mentes ſuas debebant, nunc vero in contrarium nitentes, conceſſas ſibi divinitus mentes mala ebrietate corrumpunt atque profligant. Quarto eum vaſtorum animalium carnibus & pinguedine veſci ne ſinas. Oportet enim me te probe inſtruere, & monere, quia ex Judæorum ſanguine ortus, parum Chriſtianos mores noveris. Miror ego equidem homines illos, qui boum carnibus ve-

ſcuntur, quare natura eorum illos non in agros compellat, ut ibidem cum bobus arent, quorum germani ob cognatam ſucci & ſanguinis naturam eſſe videntur. Præterea eum ab allii eſu arceas, hoc enim proprium genti veſtræ Hebrææ cacoëthes eſſe ſolet, ut comeſto allio hircorum more incredibilem fœtorem exhalent. De craſſis quoque vaſtorum animalium carnibus naturæ conſultus ait: Quod ſuccum ſuo temperamento ſimilem efficere, & putridas febres gignere ſoleant. De pinguedine ipſe quoque Poëta ita canit: Quis medicorum ſenectutis mala profligabit? Quis medicorum obeſorum pinguiumque morbos ſanabit? Quinto mone eum, ut multo manè ſurgat, & fundendis precibus ſacram ædem adeat; valde equidem mihi probatur hoc Judæorum inſtitutum laudabile, quo ſummo mane non tantum adulti; ſed ipſi etiam infantes alacriter ſurgunt, & preces ſuas recitant. Inter Chriſtianos vero, non niſi ſolæ vetulæ & claudi ad matutinas preces reptare & claudicare ſolent. Cum tamen veriſſimè dicat ſapiens quiſpiam: Omnium cupiditatum frenum eſſe preces: Præceptor reſpondet: Vereor, o Rex, ne, ſi illum caſtigavero, eaſdem mihi olim referat gratias, quas Nero præceptori ſuo Senecæ olim retuliſſe dicitur, cum illum corripuiſſet. Rex contra: Ego quidem ſpon-

ſpondeo,a filio meo nihil tibi periculi fore. Præceptor reſpondet; DEUS te nobis,o Rex, diu ſervet ſuperſtitem: ſed, ſi tu tandem fatis concedens in cœleſtes beatorum ſedes commigraveris,quo ego vadam, illucne, & ſponſorem meum quæram? Tum Rex: ſi filium meum caſtigare volueris, ne te iratum eſſe oſtendas,quod faciunt acres acceptæ injuriæ vindices, quin benigno & placido ſemper animo eum caſtiga, quemadmodum ipſi,qui fideliter monent, & optimè conſultum volunt,facere debent.Hinc Rex ad Thomam converſus ait: Quanquam ad informandos filii mei mores, ſatis præceptorem monui pro ſapientia mea: exiſtimo tamen, cujuſque hominis ingenium & mores ex conditione & concurſu ſiderum, quæ ipſum primum naſcentem aſpexerunt, fingi & formari. Cui Thomas: Pythagorici aliud ſentiunt, quorum ſententiam, quæ ſic habet, referam. Si quis ſciat momentum illud,quo quis in utero materno concipitur: poſſe ſciri ea, quæ infanti in utero accidant.Et ſi ſciat momentum,quo quis naſcitur: ſciri poſſe omnia illa, quæ homini in vita humana, donec denaſcatur,ſint eventura.Mores vero a conſuetudine fingi tradiderunt. Quamvis quidem ſidera magnam vim in humano corpore habeant, mores tamen ab educantium diſciplina & eorum, quibuſcum verſan-

tur, consuetudine formari & pendere solent. Rex rogat: Quidnam Phythagorici sentiunt de cœlis, vocem habeant an non? Respondet Thomas: Pythagorici, cœlos vocem habere, sentiunt, & quidem longe dulcissimam. At objiciunt alii: Quodsi calor de cœlis ad nos usque pertingit; quidni & cœlorum vox ad aures nostras pervenit? quod subtile sane argumentum est.

Anno Secundo postquam regnare cœperat Rex Henricus, adducitur ad Regem homo quidam sylvester: cujus hæc facies erat. Capilli ad tibias usque pertingebant, barba ad ventrem promissa, supercilia palmum longa, hic sex perpetuos dies ferarum ritu herbis pascebatur: quibus elapsis pauxillum panis comedebat. Deinde planè & articulate eloqui cœpit. Quem cum Rex rogaret, quodnam illi nomen esset? Respondit: mihi o Rex, Don Henrico Mendozæ nomen est, qui vixi cum patre tuo, cui cum consilium dedissem, ut regno suo ejiceret Judæos, me ipsum in locum, unde jam adductus sum, ejecit. Cui Rex: Recordor equiden patrem meum te in scientiis atque sapientiæ exemplis consulere solere. Ita sanè res est, inquit ille: librum quoque scripsi de mundi ortu. Rex inquit: Miror ego, quod Christiani, Judæi, & Muhammedani concordi sen-

tentia illud arctè tenere, atq; operosè defendere solëant. Mundum esse creatum: cum tamen res ea nullo certo argumento demonstrari possit: quemadmodum Aristoteles autor est. Respondet sylvester ille: Nec Aristoteles ipse argumentis probat, mundum æternum esse. Verba ejus hæc sunt: Omnes Philosophi, qui ante me fuerunt, mundum non creatum esse consentiunt, excepto uno Platone, & quæ sequuntur. Et si Aristoteles firmissimum aliquod argumentum habuisset, quid opus erat ad faciendam fidem aliorum testimonia advocare, & quid illi senserint, anxiè recensere? Neque propterea minus verum erit illud: Mundum ortum suum aliquando habuisse, etiamsi Aristoteles illud non crediderit. Rex inquit: Quid sentis de DEI cura rerum creatarum, quam providentiam appellamus? Respondet sylvester: De ea re, jam olim Melchior de la Torre uberius scripsit, cujus verba hic adscribere est visum. Ex admirando illo creationis opere intelligitur DEI providentia; dedit enim DEUS magnos dentes atque ungues feris illis, quæ ad vitam sustentandam carnium esu indigent. Avibus aquaticis pedes quadratos, ut natent: rostrum oblongum, ut vermes capiant. Avibus terrestribus pedes longos, ut lutum transiliant: quas præterea caudâ longâ ornavit, quæ volatui servit,

 eundem

eundem enim usum præstat avibus cauda, quem navibus gubernaculum præstare solet. Ingenitus est femellis major, quam maribus ad enutriendos pullos amor, quæ facilius ploratum eorum sedare possunt; excepta tamen ursa atque leæna, quæ nullo in catulos amore tanguntur. Leo & felis aliis animalibus insidias struunt: quemadmodum Reges in bello hostibus suis insidiari solent. Rex rogat: Num etiam, postquam tam graviter peccarunt Judæi, ulla DEUM eorum cura tenet? Respondet sylvester: Imo tanto intentiori curâ eos tuetur DEUS, quanto reliquis mortalibus abjectiores sunt. Ad quæ Rex: Improbi isti Judæi minus benè sentiunt & loquuntur de nobis, quam nos de illis & sentimus & loquimur. Audivi enim Judæos cultrum de mensa dejicere, cum preces dicunt, quia culter Esavi, quo nomine Christianos signant, sors illa est, quam ultimis votis pater moriturus filio est precatus. Nolunt enim sibi, dum DEO pro cibo laudes dicunt, cultrum jungere: adeo illi pejus nos, quam nos ipsos odimus: cum tamen ipsi nostro, nos non ipsorum imperio subsimus. Respondet sylvester ille: Cum legatus in Arragoniæ regnum proficiscerer, offendi sapientem quendam virum, obscure dictorum intelligentissimum, cui Ben Dinæ nomen erat: qui eò id a Judæis fieri affirmabat,

quo

quo Esavi vota implere, atque dicta comprobare viderentur. Esavum enim Jacobo fratri suo munera sibi ferenti dixisse Gen. cap.xxxiii:v.9. Sit tibi, quod tuum est, frumentum & vinum inquam. Mihi vero sortem meam, quam moriens mihi pater est precatus, gladium dico, relinque: Quare Hebræi, cum laudes pro cibo Deo optimo maximo agunt, suum cuique tribuentes, gladium Esavo adjudicant. Rex inquit: Apud me habita, te omni honore, quo dignus es, prosequar. Cui sylvester respondet: Haut apud te vivam, o Rex, licet regiam tuam argento plenam mihi contuleris. Ubinam sunt voluptates & omnium deliciarum illecebræ, nisi hic? Si quis expetat ciborum delicias, in quibus digerendis ipsa etiam natura laborat & deficit, ubinam illas, nisi in Regum mensis inveniat? Si quis quærat pretiosas vestes ex omnibus orbis terrarum partibus comportatas, ferarumque pelles, nusquam, nisi apud vos, meliores inveniat? Ubinam major est mulierum lascivia, quæ vestibus auro distinctis indutæ coram vobis in conspectu vestro tripudiant atque choreas ducunt? Interea cacodæmon in animis vestris tripudiat atque triumphat. Ubinam purpurati Musicis instrumentis non DEUM; sed mulierum papillas laudant, & Fescennina carmina cantillant; nisi hic? Quid autem

rei

rei vobis cum iſtis, quæ equo & aſino jucunda, homini autem merito turpiſſima eſſe debebant. Rex contra inquit: Nonne diſertim in Judæorum monumentis ſcriptum extat? Dignas regibus delicias eſſe omnis generis cupedias & ſcitamenta, aromata, vina, triticum, palatia, hortos, pomaria, tapeta auro argentoque diſtincta, pſaltrias, miniſtros, ſaltatores, cantores, exploratores, ſpeculatores, arma, equos, argentum atque aurum. Sylveſter inquit: Propter omnes iſtas deliciarum illecebras univerſi iſti Reges paucis annis regnarunt, & acerba morte ante diem perierunt, quod & tibi eventurum præſagio, niſi quamprimum reſipiſcas. Procaci hac oratione irritatus Rex, ſatellitibus ſuis imperat, ut ipſum ſecuri percutiant, ille, cum mortem inſtare cerneret, ita locutus eſſe dicitur: Nunc mea me ſcelera petunt, eodem ſupplicii genere me duos Judæos in Valentina via quondam ſuſtuliſſe memini: Juſtiſſimam ſummi Numinis ſeveritatem agnoſco, & toto animo veneror.

Exemplum literarum, quas vir prudentiſſimus atque optimus M. Meſullamus civis Romanus miſit ad Hebræorum cœtus, per Maximi Pontificis & Neapolitanorum imperium diſperſos. Scitote Clariſſimi cœtus, qui pietatis officiis legiq; divinæ operam datis: Magnum illum & fidiſſimum vindicem DEUM,

UM, qui olim vobis laborantibus propitius adfuit, etiamnũ vobis imminenti periculo eripiendis adesse præsentem. Primo natalitii festi die duo purpurati Regis Hispaniarum ad Pontificem maximum veniunt petentes, ut ille Iudæos finibus suis exterminaret: Dignum enim esse Pontifice maximo, qui Christi vicem sustineret in terris, tanquam ducem omnibus Regibus exemplo suo præire, eos ad simile studium inflammare, & pessimam Judæorum gentem, in DEUM, ejusque filium contumeliosissimam, quem summo scelere fœdissimè occiderint, regno suo quamprimum expellere, cujus autoritatem cæteri Reges alacriter secuti, ad simile pietatis studium inflammarentur. Pontifex maximus vero vir ęqui & boni amantissimus, iis hunc in modum respondet: Regum, qui hoc tempore vivunt, ingenium satis mirari nequeo: male habet ipsos; quod Iudæi maligni sunt & DEO peccant: Cum tamen Reges, populi curatores, qui DEI vicem in terris gerunt, merito Judæorum supplicium DEO remittere oporteat; qui illos creavit, & propter commissa quondam crimina satis castigavit etiam antequam Reges isti nascerentur.

tur. Quodsi illi se macerant & cruciant, quod inter Iudęos sint impii: ego me macero, quod in eorum numero viri pii reperiantur. Legi enim in omnium Imperatorum Romanorum annalibus: Iudæos, quando Dei sui legem servare neglexerint, continuò cecidisse. Quando vero dil genter eam servarent, ipsis etiam Romanis superiores fuisse. Tum Antistes à Pontifice maximo secundus ait: Si Hispaniarum Rex Iudæos ejicere studet, non quidē ejiciet illos, quia mali sint, aut gravius delinquant; sed ne cives suos corrumpant, & omnibus malitiæ exemplis editis, illis facem ad scelera præferāt. Nec est, quod longè abeamus, ipsi Iudæi nobis exemplo sunt, qui cum in Ægypto essent, Ægyptia gens pravissimis moribus corrupta, ipsos quoq; consuetudine sua corrupit; quod sacrę literæ testantur Deut: c. xxvi. v. 6. Malum nobis dederunt Ægyptii: quorū verborū sententia est: pravos vitę mores Iudæos ab Ægyptiis fuisse doctos: alioquin enim si verba illa. Malum nobis dederūt. de injuria Iudæis facta intelligēda essent; supervacuum certe fuisset, addere illa, quæ sequuntur Deut. eodē versu: Et afflixerunt, imposueruntque nobis servitutem duram. Sed per vocem illam,

illam, *Et afflixerunt nos:* omnes injuriæ & vexationes capiendæ ſunt. Deinde huic tam pio Regis Hiſpaniarum ſtudio ſacræ etiam literæ ſuffragãtur Exod.c.xxIII.v. 33. Ne habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant. Adhæc Pontifex maximus ait: Dum res Ægyptiorum velut in tranſitu attingitis, venit in mentem ſcrupulus quidam & dubitatio, quam mihi ſacrarum literarum locus quidam injecit narrans: Num.cap. xxxIII vers 4. In Diis eorum fecerat DEUS judicia. Ex quo clare liquet, DEUM ſimulacra averſari: quodſi DEUS ſimulacra abominari videtur, quomodo nos igitur illis ſupplices poſitis genibus honores deferimus? Antiſtes reſpõdet: Ne mirum tibi hoc videatur, ô Pontifex, longe enim alia res eſt, nemo exiſtimare debet, imagines noſtras, quas veneramur, Ægyptiacis ſimiles eſſe. Nos enim ad exemplum ipſorum Cherubim, qui in intimo Fani adyto poſiti fuerant, ſanctornm virorum, qui Chriſtum imitati ſunt, imagines fingere ſolemus. Ægyptii vero aſtrorum ſimulacra habebant, quæ cum magnã virtutem in inferiorem hunc mundum exerceant; mortales facile in ſuperſtitionum errores impellebant; cum ipſa DEOS eſſe exiſtimare

 poſſent.

possent. Quapropter sacræ literæ simulacra fingi prohibuerunt. Si quis vero flexis genibus Pauli simulacro cultum aliquem exhibeat, certè non exhibet ut DEO, quia illum quoque hominem fuisse novit. Præterea aliud divini cultus genus habebant Ægyptii, quo primogenitos filios suos prosecuti fuere. Tradunt enim Ægyptiorum historiæ: In Ægypto patres cum liberis filii primogeniti manus supplices osculari solitos fuisse. Illum enim, qui primogenitus erat, Deo similem esse censebant. Extincti fortè faciem in cubiculorum suorum parietibus depictam, post mortem quoq; flexis genibus submisse venerabantur. Pontifex inquit: Istis argumentis abundè satisfactum mihi est: nunc ad propositum unde digressi sumus, revertamur. Equidem non video, quod tantum crimen in nos commiserint Iudæi, quamobrem exilii pœnâ digni esse videantur. Qui enim hoc unum student, ut mali esse possint: inter Christianos meliores malarum artium scelerumque magistros, quam inter Iudæos inveniant. Omnes tamen primates & nonnulli præsulum quoque, Pontifici maximo Iudæos in exilium ejiciendos esse, serio suadent; sed non persuadent.

Donec


Donec tandem præſulum quiſpiam ſuos miniſtros dolis atque artibus inſtructos callide ſubornaret; ut Iudæum quendam ſurreptę ex Chriſtianorum Æde imaginis argenteæ accuſent, quo inſontibus exilii cauſa eſſe poſſint. Hi mox artem aggreſſi, fraudi firmandæ teſtes pro animi ſententia inventos adducunt, per quos inſons ille Iudæus falſo crimine convictus, in crucem ſublatus eſt. Præſules rem modo geſtam ad Pontificem maximum deferunt; qui ait: Hoc nefarium ſacrilegium arguit extremam Iudaïcę gentis malitiam. Non enim arbitror, Iudæum alia de cauſa vitam tanto diſcrimini expoſuiſſe, niſi religione ſuorum, noſtrorum vero ſacrorum contemtu. Iſtam enim imaginem, ſine dubio, igni liquefacturus erat: ut occulto hoc ignis ſupplicio graviorem ſacris noſtris injuriam non ſine quæſtu inuſſiſſe conſcius, tacito impietatis gaudio exultaret. Proinde, non eos jam exilio; ſed alia graviori pœnâ mulctabo: liberi eorum infantes ſacra lotione abluti Chriſtianis ſacris extemplo initiantor. Adulti vero, ſi ſponte ſua religionem noſtram amplexi fuerint, ſalvi ſunto. Quodſi facere negent, ferro pereunto; Facultates tamen

eorum liberis atque hæredibus relinquuntor. Ne hic ingenium meum Regum ingeniis, qui una cum vita ſimul etiam bona eripiunt, ſimile eſſe videatur. Mox Pontifex maximus diplomata conſcribi jubet: quibus Iudæos ad Chriſtiana ſacra compellendos eſſe edicebatur. Eadem forte nocte Præſul ille, qui omnis mali dolos machinaſque fabricaverat, apud Pontificem maximum cœnans, exclamare cœpit. Heu! Heu! capiti meo! Vix hæc verba ediderat, quin de ſella, cui inſidebat, exanimis humi delaberetur. Quod Pontifex maximus cernens, conſiliariis ſuis ait: Vereor certè, ne præſul mali ſui conſilii, quod contra Iudæos dedit, pœnas luerit. Vetuit itaque miniſtros ſuos, edictum hoc ad tubæ vocem promulgare, alii tempori, ſimilique rerum articulo reſervandum. Nocte autem proximâ alter præſul, qui in locum ita ſubito & inopinato extincti ſuffectus erat, ad cœnam vocat omnes primates, præſules atq; legatos, qui Romam venerant, Iudęorum exilia flagitantes. Eadem nocte maximo terræ motu, cui parem nulla unquam vidit ętas, Roma conquaſſata fuit: cujus quidem incredibilis tremor nullum plane damnum dedit, neque ali-
quas

quas ædes evertit, nisi solas illas, in quibus magnificum illud apparatum erat epulum, eæ enim ædes collapsæ omnes primates, præsules atque legatos ad unum ruinâ oppresserunt. Rumore hujus cladis ad Pontificem perlato, prorsus existimabat ille, fatalem istam calamitatem divinitus immissam esse, quod, conjuratione contra Iudæos factâ, falsis criminibus circumventos insontes evertere conati essent. Comprehendi igitur illum hominem jubet, qui Iudæum surreptæ sacræ imaginis accusaverat; habita quæstione de sacrilegio, fassus est, artem fraudemque fuisse à Præsule repentinâ morte extincto conflatam. Pontifex maximus inquit: Cum pertinax istud in miserorum exitium conjurandi studium video; ignoscite fasso, propemodum adducar, ut credam, Christum etiam à Iudæis occisum, odio gentis per calumniam confictum fuisse. Ut ut est, video ego, hoc malum nobis fato quodam propter Iudæos immissum, nec sine causa herclè. DEUS enim ipsa justitia, qui nunquam sine gravi causa tam misera calamitate præsules omnes oppressos extinxisset, proinde non possum non amare eos, quos non desinit amare DEUS: qui utinam

nam

nam nos divinâ ſuâ luce colluſtrare dignetur, & det mihi morte jungi iis, qui inter ipſos vera pietate excellunt! Mox diplomata illa contra Iudæos promulgata reſcindi & falſum illum accuſatorem rogo exuri jubet. Ex eo tempore Pontifex maximus Iudæos æſtimare, eoſque tam effusâ benignitate proſequi cœpit, ut eorum votis atque deſideriis nunquam deeſſet. Adeo ut ſub illo deinceps in alta & invidenda pace agitarent Hebręi, cum nemo uſquam exiſteret, à quo illis injuria ulla oreretur. Iure igitur veneremur magnum illum ſcelerum vindicem DEUM, qui invalidum à potentiorum injuria propitius defendit.



FINIS.

